

XVII, 48.

EPIS...
P... C...

SENSUS PRÆLECTA

ANNO...

...

...

...

...

...

...

...



ENARRATIO
EPISTOLÆ
Pauli ad Colof=
SENSES PRAELECTA
ANNO. M. D. LVI.

A PHILIP. MELANT.

ADDITA EST RESPONSIO HV-
manissima ad uirulentas calūnias Staphy-
li & Auij, edita ab eodem Phi-
lip. Melant.

Accessit etiam rerum uerborumq;
memorabilium Index.

FRANCOFORTI EX
cudebat Petrus Brubachius, An-
no M. D. LIX.

XVII, 48.

*Parus, sicut omnia
Melanctoris scripta*





77. (7)

30

FRANCOPOLIS
1777

XIV

[Faint handwritten text, possibly a signature or date]



Nobilitate ge-

NERIS, SAPIENTIA,

ET VIRTUTE PRAE-

STANTI, VIRO CLARISSIMO

DOMINO HERLVFO TROLL,

Domino Hildrusholm Capitaneo in

Roschild in Selan-

dia, &c.



ANIFESTA DE

Deo testimonia im-

pressa sunt uniuersa

naturæ mūdi, suntq̃

maximè illustria, no-

ticiæ immutabiles di-

scernentes honesta &

turpia in mentibus

hominum, & uindices in corde ingentes

dolores, qui delicta comitantur. Hæc testi-

monia sæpe aspicere & considerare pluri-

imum ad confirmandam adhesionem de

Deo & de prouidentia, & ad modestiam

conducit. Estq̃ bonæ mentis Deo hanc gra-

titudinem præstare, ut eius uestigia quæra-

mus, & celebremus conditorem.

EPISTOLA

Suus autem locus est huic sapientiæ , & suo ordine dulcis eius usus est. Sed cum Deus immensa bonitate quasi prodiens ex arcana sede sua certis & illustribus testimonijs se patefecerit, & Legem & Promissionem gratiæ sæpe repetiuerit, & filium Dominum nostrum Iesum Christum miserit, & certissima testimonia doctrinæ addiderit, grati eas patefactiones intueamur & doctrinam discamus, qua æterna Ecclesia colligitur, & sciamus omnibus in toto genere humano seuerissimè præcipi, ut Filium Dei audiant, Sicut æternus Pater inquit: Hunc audite, & in Psalmo dicitur: Osculamini Filium. Statuamus hac doctrina & non aliter colligi Deo æternam Ecclesiam, nec esse ciues Ecclesiæ Dei, nec heredes dulcissimæ & æternæ cõsuetudinis cum Deo, hostes huius doctrinæ, sicut inquit Filius Dei, Oues meæ uocem meam audiunt.

Intueamur autem & utriusq; exercitus speciem. Exiguus cœtus est uera Ecclesia, quem oppugnat ingens multitudo ex diuersis gentibus, & dissimili genere armorum instructa concurrens, multi palàm athei, multi defensores Idolorum, multi fanatici serentes falsa dogmata. Vt olim exiguas Apostolorum cateruas delere conabantur Ethnici, Iudæi, hæretici, & horum quasi cohortes dissimiles erant: ita nunc ar

DEDICATORIA.

ma gerunt contra Filium Dei & eius agmē
paruum & ærumnosum. Totius Mahome-
tici Regni in Europa, Asia, & Aphrica mo-
les, Impij Iudæi & alij athei, Totius Pontifi-
cij regni focij defensores Idolorum suo-
rum, & aulici κέλαρες innumerabiles, qui
linguas uenales habēt ut arte pingant Ido-
la, & mendacia Sophisticis præstigijs con-
firment, quales sunt Staphylus, Canisius &
multi horum similes: multiplex item collu-
uies fanaticorum hominum, Anabapti-
stæ, Stenckfeldiani, & furia, quæ sedicio-
num tubæ sunt falso prætextu religionis.

Quanquàm igitur tanta est impia mul-
titude, quæ quidem ardet odio & crudeli-
tate, tamen, ut in Symbolo dicimus, Credo
esse Ecclesiam catholicam, certò statuamus
esse aliquam Dei Ecclesiam, & hanc uerè
esse hoc agmen, quod incorruptam Euan-
gelij uocem amplectitur, & iuxta eam De-
um inuocat fiducia mediatoris, etsi in hoc
agmine etiam multi sunt & imbecilles, &
ægroti, sed tamen ad filium Dei confugien-
tes, & qui nec Idola pertinaciter defen-
dunt, nec sæuiciam in membra Christi
exercent.

Cùm igitur discerni pius exercitus &
impius non obscuris signis possint, & ue-
xilla nota sint. Piorum uexillū est unicum
doctrina incorrupta. Aliorum uexilla sunt

EPISTOLA

dissimilia, dogmata Turcica, Pontificia, fanatica. Primum quisque cogitet qui & ubi sint uerae Ecclesiae ciues, deinde sese sententia, uoluntate, inuocatione, & confessione cum illis coniungat.

Extant autem scripta & mea, & aliorum piorum in nostra Ecclesia, quae cum congruant cum uoce Ecclesiarum uestrarum, ostendunt coniunctionem & sententiae & inuocationis, & apud candidos iudices testimonium de nobis dicunt contra uenenas calumnias, quae iniusto odio nostri sparguntur à diuersis hostibus. Hunc igitur libellum istuc mitto ceu testem nostrae uocis, & laborum, & te rogo ut inspicias. Semper iudicijs Ecclesiarum nostrarum me subieci. Nec discedo ab hac sententia, maximèque optarim pios & doctos uiros de quibusdam uulneribus posse colloqui.

Etsi enim norma Iudicij certa est, uidelicet sermo Propheticus & Apostolicus, qui non est ambiguus, ut uociferantur Pontificij, & mens confirmata testimonijs quae extant in scriptis Prophetis & Apostolicis, non quassatur fluctibus dubitationum, tamen fateamur nos homines esse, inter quos multi sunt infirmi. Et interdum in bonis fit hoc quod est in querela Simonidis: *Λόγα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν.* Nec

uollenda

DEDICATIO

tollenda sunt ex Ecclesia iudicia.

Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, uerè colligentem æternam Ecclesiam uoce Euangelij, qui inquit, Ego sum uitis, uos palmites, ut nos faciat sibi palmites fœcundos, & semper nos gubernet. Amen. Die 16. Febr.

quo Deo iuuante, ingredior
annum climactericum,
sexagesimum tertium.

PHILIP. MELANT.

A 4

Index rerum & uer-

BORVM MEMORABILIVM IN ENARRATIONE Epistolæ ad Colossenses.

A

Actionum bonarum cause effici	ἀπαύγασμα	2.28
cientes & finales sepe cogitandæ	ἀπόχρησις	73
100.101	Apostolus quis	20
Actiones omnes ad extra sunt communes tribus personis	Apostolorum uocatio immodiata	20
32	Applicationis doctrina, quomodo beneficia aeterna accipiamus & retineamus	40
Aequalitas quomodo consideranda	102	40
Afflictionum similitudo	43	40
Anabaptistarum deliria	11. 46.52. 70. 72. 105.	Architecti 47
Anabaptistæ iniuste constitute uolunt noua imperia	106	Arrij & Samosatani præstigiæ 30
Anabaptistæ Monasterienses	70	Artes sunt res bonæ & donæ Dei 48
ἀνεγκλιτ &	39	Artes habent suas metas 48
in Angelis & hominibus sunt particularia donæ	6	Ascensio Christi in cælum, item de locali ascensione nature humanæ 88
Aninomi reprehenduntur	90.91	Afiduitas in doctrina commendatur 85
		Athanasij dictum de exercitijs 81
		Attæ

I N D E X.

Attali captiui dictum	81	cidens	41
Auulſio iriſtis à Deo Diabo-		Chriſtus quomodo tectus	89
lorum & hominum	36	Chriſtus quomodo omnia in	
B.		omnibus	95
Bona opera an neceſſaria ad		in Chriſto inhabitat omnis	
ſalutem	92	plenitudo diuinitatis cor	
ἑωμόλοχοι	103	poraliter quomodo	6.7
ἑραβευτής	9	in Chriſto duæ nature	2. 7.
C.		26.	
Caput Eccleſiæ Chriſtus, quo		Chriſti omnipotentia	22
modo	3. 34. 72.	Coloſſæ quale oppidum	1.
ad Caput unum redigi omnia		quando ſubmerſæ	107
in cælo & in terra	36	Coloſſus, & κόλον	1
Caroloſtadius	95	Coniugium ſeruorum	101
κατάχρησις	73	Conſummatio in Chriſto du-	
καταβεβύειν	9	pliciter intelligenda	6.55
Ceremoniæ Moſaicæ fuerunt		Conſummatio eſt in Chriſto	
umbra nō ipſa iuſticia	65	55	
Chirographum, ſentētia con-		Contritio	57
demnationis, & conclu-		Corporale exercitium	80
ſio	60	Corpori quare honos haben-	
Chriſtus eſt caput merito &		dus	82.83
efficatia	3	Corporaliter	53
Chriſtus eſt caput efficatia,		Corruptelarum quatuor mo-	
perfectiōe, merito, et or-		di	44 (50
dine	34	Cuculi ſpecie indutus Iupiter	
Chriſtus non iuſtificat per ac-		Cultus & ritus deprauati in	

I N D E X.

Ecclesia qui	50.75.	Doctrinae hominum reſciuntur	74.
Cultus Dei uerus quid	51.80	Doctrinae lectio & cogitatio placet Deo	97
D.		Doctrinarum discrimen tenendum	49
De madis dictum	103	Doctrina equalitatis	102
De mensum uetus largum	101	Doctrina à Deo tradita, sepe tractanda	85
Deus quando uerè adest & est efficax	10	Donum quid	21
Deus unus colendus	75	Dubitationi quomodo repugnandum	18
Diabolorum horribilis furor aduersus Deum	36	E.	
Dicta mutilata non excerpenda	85	Ebrietatis mala	83
de Dignitate tētatio quomodo superanda	17	Ecclesia in inuocando de essentia & uoluntate Dei cogitare debet	23
Dilectio quomodo sit uinculum perfectionis	12.96	Ecclesiae collectio	72.107
Diligentiae extrema quae	11	Εἰκόv	2
Diuinitatis Christi testimonium	2	Elementi uocabulum quomodo intelligendum	6.51
Docendi & discendi studium commendatur	9	Enthusiasmi fictici	52.70.72.
Doctores falsorum dogmatum quas habeant notas	8	Enthusiastarum praestigiae cauende	71
Doctrinae certitudo necessaria	4.2	Episcopus, seu pastor, seu doctor quis?	20
		Episcopi	

I N D E X.

Episcopi præcipui tres	76		
Episcopi Roman. iniuste con-			
stituerunt sibi imperia	106		
ἑδελοθρησκειαι	74		
Etbnici & Mahometistæ er-			
rant de essentia & volun-			
tate Dei	23		
Euangelium sapientia ratio-			
ni ignota	26		
Euangelij reuelatio	49		
Exercitia discernenda à pic-			
tate	80		
Exercitijs non sunt addendæ			
superstitiosæ opiniones	81		
F.			
Facultatum desertio est du-			
plex	15		
Fides quid significet	40.		
& quomodo intelligenda			
	41. 44. 58. 59.		
Filij Dei appellationes pro-			
prie	2		
Filij Dei diuinitatis testimo-			
nium	2		
Filij inobedientiæ	90		
G.			
Gratia quid	21		
		H.	
		Habere salem quid	105
		Habitandi uerbum quàm la-	
		tè pateat	10. 85. 96
		Hæretici	11
		Homo nouus & homo uetus	
			92. 93
		Honos quid cum hominibus	
		aut corpori tribuitur	82
		Humilitas	67. 68
		Humilitatis præstigiæ	70
		Hypocritæ taxantur	84.
		I.	
		Imago æterni Patris, filius	
			28
		Imago Dei ad nos missa	29
		Imaginis uocabulum quomo-	
		do intelligendum	2. 28.
			29.
		Imaginis interpretatio iuxta	
		Augustinum	93
		Imago triumphi Christi	7
		Implere quod deest afflictio-	
		nibus Christi	4. 43
		Imposturarum modi aliquot	
			45
		Incedere superbe	70

I N D E X.

Inculpatus	39	Lapsus contra conscientiam vitandi	91
Inhabitare corporaliter	54	Leges naturales uocantur ueritas Dei	47
Inobedientes	92	Lepos	103
Insulsitas	103	Linguae sunt donū S. sc̄i λόγος & uocabulū quomodo intelligēdū 2.3.26.27.54	47
in Inuocatione dupliciter cogitandum de filio Dei	24	λόγος ἢν κ̄ν π̄ σοφασις	77
in Inuocatione quotidiana quae cogitanda	27	M.	
Inuocationis uerae & falsa discrimen	23	Mediatoris uocabulo de quibus admoneamur	22.37
Ionathas	68	Medica ars	47
Iudex debet esse equalis	16	Meriti opinio quomodo auxerit ceremonias	50
Iudicij rectitudo quomodo retineatur	12	Monachorum deliria	11.15.47.105.
Iunōis statua Argis culta	50	Mortificatio	57
In iustificatione hominis coram Deo quae res fiant	37	Mortua natura non sit efficax	89.90
Iustificatio una omnibus temporibus	65	N.	
Iusticiae Euangelij & rerum politicarum discrimē	94	Noua obedientia an sit meritum uitae aeternae	91
de iusticia essentiali	79	Novitas quomodo fiat	93
Iustum quid significet	101	Novitas in renatis	73
L.		Noticiae naturales uerae	47
Laodicea & Colossae terrae motis submersae quid moueant	107	Noticiorum principia	48
		Omni-	

I N D E X.

O.		Papistarum figmentum de dubitatione	59
Omnipotentiae dicta habent illustrem confirmationem	27	Papistarum figmentum de afflictionibus sanctorum	5
ὁμοιον ὁμοίου φίλον	69	Papistarum tenebrae	11
Opera non mandata à Deo non sunt cultus Dei	51.75	Particularitatis remedium	17
Opus Dei summum, copula- tio divinae & humanae na- turae	33	Pastoribus an liceat condere decreta	77
Ordine uiuendum esse	82	Perfectum quid	13.14.96
ὀρθοτομεῖν	97	Perfectio quid significet	12
Osiander quae disputet de im- agine Dei	94	Perfectio an sit opus melius operibus Decalogi	14
Osiandri grandiloquentia	78	Perfectus substantia, & per- fectus quantitate quid	13
Osiandricae speculationes	38. 41.78	Si uis perfectus esse, uade & uende omnia	14
Osiandri corruptela de iusti- cia essentiali	79	Personarum acceptio quid	16.18
P.		Philosophiae & Euangelij con- fusio	45
Pacis uocabulum quid	22	Philosophia uera non dam- natur	46
Papa Romanus	76	πληροφροσία	44
Papistarum error, quod ho- mines mereantur remis- sionem peccatorum pro- pter disciplinam	37	πλησμονη	84
		Plenitudo diuinitatis	55
		Poenitentiae partes	57

I N D E X.

Politia Iudaica cur interie-	deorum quid fuerint	66	
eta inter imperium Baby-	Sal bonus	104	
lonicum & Aegyptium	Salem candidum, & Salem		
66	nigrum veteres quid dixe-		
(80	runt	104	
πολλοὶ τῷ λέξαντες εἰ, &c.	Samofatenus	67	
Potentie	Sanctitas quid, & sancti q	38	
94	Salutationum exempla quid		
Præsentia Dei quatuor mo-	nos moneant	106	
di	Scurra ἂ σκῶρ	103	
53	Scurrilitas	ibidem	
Præstigiæ impostorum falso-	σκῦλα	46	
rum dogmatum	Sermo Dei in quibus habite		
8	& in quibus non	11.85	
Primogenitus uniuersæ crea-	Seruetus	104	
ture	Simulatio	67.69	
30	Specialis præsentia Dei du-		
Primogenitura eius quam af-	plex	53	
ferat consolationem	Spiritum sanctum qui effun-		
31	dant	91	
Propheta quis	Stenckfeldius entusiastæ, &		
19	eius deliramēta 9. 52. 53.		
πρὸς ὄπρον, & πρὸς ὄπρω-	62. 85.		
ἀντίον	σοῖχ &	52	
16	Studiū docendi & discendi		
R.	commendatio 9. 10. 98.		
Remissionis peccatorum illis	Sycophātarum artificia usi-		
stris imago	tata	126	
8			
Renati sunt iusti propter me-			
diatorem			
78			
Rituum obseruationem non			
esse iusticiam			
63			
S.			
Sacrificium Christi			
65			
Sacrificia & carimonie iu-			

I N D E X

εὐλαγῶμεν	46	Traditiones humane cur di-	
Superbia quid	67	dicantur habere speciem	
Superbie initium, menda-		76	
cium	67	Triumphus Christi imago	
Superbè incedere	70	7.62	
T.		Triumphans per sese	62
ταπεινοφροσύνη	67	V.	
Thammerus	104.126.	Veritas	68
Temperatiæ exercitia	80.83	Via quid significet	98
Tempora iusta cibi, potus,		Vivificatio	60.62
precaionum, laborum etc.		Vnio personalis	54
seruanda	81	Vniuersalis præsentia Dei	53
Tentationes hominis due		Vocationum distinctiones te-	
præcipue	17	nende	20
Throni, Dominationes, Prin-		Vocatio non est impij labo-	
cipatus etc.	32	ris	98
Θεοσεκεία	71		
Timorem Dei & fidem quæ		L O C I A L I Q V O T	
confirmant	16	explicati.	
Timor	68		
Traditiones humane cur ui-		Locus in Salomone: Ludens	
tandæ	6	in orbe terre, & delecta-	
Traditiones violare an sit		tiones meæ cum filijs ho-	
peccatum	8.	minum etc.	3
63.64.		Idem Salomo: Qui vult dese-	
Traditionum superstitiosa-		rere amicum, quærit occa-	
rum chaos	11.64	sionem	13

I N D E X.

<p>Non dico uobis, quòd ego ro- gaturus sim Patrem pro uobis, quomodo intelligen- dum 25</p> <p>Locus: Benedicat his pueris Deus, & Angelus &c. 27</p> <p>Augustini dictum concinnū: Agit filius per se, non à se 32</p>	<p>Danielis locus: Adducetur iusticia sempiterna 65</p> <p>Declaratio articuli Symbo- li: Ascendit in cælum, undè cum dicto: Filius qui est in sinu Patris 86</p> <p>Psalmi illud: Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, &c. 99.</p>
---	---

In Responfione ad criminationes Staphyli & Auij.

Num Prophetica & Apostolica Scripta sint ambigua	117
Explicatio dicti Epiphaniij: τὸ θεῖον ἡμῶν &c.	118
Papistæ docent, semper in dubitatione manendum	120
τὸ ἄριστον quando anteferendum	119. 121
In Ecclesijs Augustanæ Confessionis nullam esse dissensio- nem	123
De Antilogijs Staphyli, Responfio	124
Ad titulum De Matrimonio	125
Ad titulum De Ecclesia	126
Antilogiarum ingens aceruus in Pontificiorum scri- ptis	127
De translatione librorum Propheticoꝝ & Apostolicoꝝ rum in linguam germanicam	129
De calumnijs Auij Coloniensis.	133

IN EPI

1

IN EPISTOLAM PAULI
AD COLOSSEN.

Philip. Melan.



P P I D V M fuit Colossæ vicinum amni Lyco & Meandro in confinio Lydiæ, è regione Laodiceæ, celebratum ab Herodoto & à Xenophonte, & à Strabone. Ideo autem à Ptolemæo omissum existimo, quia anno post Pauli mortem, ut scribit Eutropius, terræ motu submersæ sunt Colossæ & Laodicea. Sic postquam Deus excerpserit suam Ecclesiam, de inde impij & idolorum cultores puniti sunt.

Cum igitur huius oppidi locus notus sit, inepti sunt qui transferunt hoc nomen ad Rhodios, quia ibi fuerit Colossus Solis à multis celebratus. Locus ideo notus sit, ut pœna consideretur, quam dixi secutam esse post Pauli mortem. Nec opus est quærere unde sic nominatum sit oppidum, Fortasse enim ibi quoq; magnæ statuæ fuerunt. Nam Colossus propriè est truncata statua, à κόλον, id est, mutilū, & ὄσσε, id est, oculi. Vel appellatio Heneta est à luto, unde in Pannonia idem est nomē oppido celebri. Sed his ineptijs omissis argumentum potius & utilitatem Epistolæ consideremus.

B

IN primo capite recitatur doctrina Euan-
gelij propria de personæ & Beneficijs Christi, &
de Iusticia fidei, & donatiōe uitæ æternæ. Extat
enim hîc illustre testimonium de diuinitate Filij:
OMNIA PER EVM CONDITA
SVNT, IPSE EST ANTE OMNIA,
ET OMNIA PER EVM CONSI-
STVNT. Cum. n. affirmat per hunc Christum,
per quem dicit nos habere remissionem per san-
guinem eius, omnia condita esse, necesse est fate-
ri, in hoc Christo duas naturas esse, diuinam, λό-
γος, & naturam humanā assumptam. Quia mûs
dus non est creatus per naturam humanā. λόγος
igitur, per quem fit creatio, non est res euane-
scens, sed subsistens. Hic autem uocatur imago
æterni patris, sicut apud Hebræos ἀπαύγασ-
μα gloriæ, & character substantiæ patris. Glo-
ria phrasi Mosæica lucem significat. Nominat i-
gitur Filium ἀπαύγασμα, ut in Symbolo Lu-
men de Lumine dicitur, ut cogitatio in nobis seu
sermo ostendit mentem, seu, ut hac qualicunque
similitudine utamur, sicut radij à Sole spargun-
tur. In Iohanne Filius nominatur λόγος, hîc
nominatur ἐκὼς. Hæ duæ appellationes sunt Fi-
lij propriæ, & discernunt eum à Patre & Spi-
ritu sancto.

Intelligatur autē uocabulum Imago integra
hinc

uia & substantialis imago æterni patris, quam
 nos eatenus agnoscimus, quatenus per filiū pa-
 ter uoce doctrine patefactus est, q̄ sit creator,
 sapiens, uerax, bonus, iustus, iudex, misericors,
 liberrimus, remittens peccata, restituens iustici-
 am & uitam per Mediatorem. Nos uocabulum
 λόγος & planius intelligimus, cum cogitamus filiū
 ideo dici λόγος, quia sit persona immediatè pro-
 ferens euangelium ex sinu æterni patris, & imme-
 diatè conseruans ministerium, alloquens nos, su-
 stentans ecclesiam, sicut dicit in Salomone sapi-
 entia: Ludens in orbe terræ & delectationes
 meæ cum filijs hominum. Quæ descriptio obser-
 uanda est. Est enim testimonium de missione ad
 ecclesiam, inde usq; à prima patefactione promif-
 sionis. Et quid cogitari dulcius potest quàm quòd
 filius Dei affirmat, se delectari consuetudine ho-
 minum? Hic autem mente repetatur doctrina
 de Tribus personis, quæ suo loco copiosius tra-
 ditur.

Postea in primo capite dicit de Beneficis Fi-
 lij, & nominat eum Caput Ecclesie, quod ad per-
 sonam, quæ est Deus et Homo, pertinet. Quia utri-
 usque nature proprietates concurrunt in ap-
 pellatione capitis. Christus est caput merito: quia
 ipse meruit toti generi humano salutem. Est &
 caput efficacia, quia reuera missus est ab initio

4 ARGUMENT. EPIST.

ad Ecclesiam, & est in ea efficax secundum naturam diuinā, sicut declaratur hæc ipsa descriptio in Epistola ad Ephesios: Dedit eum caput Ecclesie, quæ est corpus eius integrū, qui omnia in omnibus perficit. Sicut & ipse dicit: Ego sum uitis, uos palmites, sine me nihil potestis facere. Ipse sustentat & conseruat Ecclesiam, Ipse dat dona Ecclesie, doctores, pastores, per quos est efficax

Postea in primo capite de applicatione beneficiorum Christi loquitur cum ait: SI MODO in FIDE manetis firmi. Deinde quædam addit de ministerio Euangelij & de cruce. Ita cernis ordine mēbra doctrine præcipua breuiter in primo capite cōprehensa esse, uidelicet, doctrinā de persona Christi, de duabus naturis, de beneficijs, de applicatione beneficiorum per fidem, de ministerio Euangelij & de Cruce

Est aut̄ insigni figura usus de Cruce: Impleo quod deest afflictionibus &c. uidelicet non quod ad meritum Ducis attinet, sed quod ad militie societatem attinet, quæ nondum completa est, sed durat usq; ad finem ministerij. Ducis Christi meritum integrum est & sufficiens pro omnibus subditis. Nos autē sumus milites in eodem ministerio, cuius nondum finis est. Ita subinde ad afflictiones Ducis accedunt succedentium militum afflictiones,

afflictiones, quæ tantisper desunt Duci, donec finis est ministerij in collectiōe uniuersæ Ecclesiæ, etiamsi differunt meritum Ducis & prælia militum. His uerbis simplicissimè enarretur Pauli dictum: impleo quod deest afflictionibus Christi, &c, non quod ad meritum quod plenissimum est solius Christi, sed quod ad militiæ societatem attinet, in quo subinde milites succedentes oportet similia pati afflictionum Ducis. Quia diaboli oderunt Ducem, doctrinam & milites, ac dici posset, formam afflictionum esse similem, causas finales dissimiles esse. Christus est propiciator & doctor, Paulus tantum est doctor.

Papistæ impiè detorquent dictum ad merita Sanctorum, & fingunt afflictiones Sãctorum mereri remissionem ipsis & alijs. Hæc interpretatio falsa est, iuxta dictum Rom. 5. Gratia & donũ per gratiam unius hominis Iesu Christi exuberavit in multos. 1. Ioan. 2. Ipse est propiciatio pro nostris peccatis, & non pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis. Et ad Hebræ. Vna oblatione consummauit sanctos.

In secundo capite, ut prudens Medicus cū tradidit salubria, monet uitanda esse cõtraria, præcipit Paulus de uitandis insidijs & corruptelis doctrinæ. **VIDETE**, inquit, **NE QVIS** uos depredeatur per philosophiam, & inanem

Deceptionem, secundum Traditionem Humanam, secundum Elementa Mundi. Nam uocabulum Elementum non intelligitur ut physici loquuntur, sed generaliter de externo ordine, unde Græcis est nomen σοῖ. &

Addit autem insignem causam, quare cauendum sit ne decipiamur humanis imaginationibus & traditionibus. Quia, inquit, in Christo cōsummati estis. Hæc consummatio dupliciter intelligenda est, primū imputatione, quod scilicet conuersi propter Mediatorem sint iusti fide, id est, reconciliati & accepti Deo, etiamsi in eis in hac uita adhuc hæret ingens infirmitas, ut Rom. 3. dicitur: Iustificati sanguine ipsius. Secundo renouatione quæ inchoatur in hac & fit integra in uita eterna. Fitq; hæc renouatio propter Christum ideo, quia in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Omnis plenitudo, uidelicet, quo ad dona seu proprietates efficaces, id est, uitam, omnipotentiam, infinitam sapientiam & iusticiam, quæ dona communicat hominibus, ostendens ipse lucem & consolationem uoce Euangelij, et dans Spūm sanctum. quasi dicat: In angelis & hoībus sunt particularia dona, nō est oīpotētia, nō est infinita sapientia et iusticia, sed hæc plenitudo filij est, qui quidē corporaliter hoc est personaliter habitat in natura assūpta, nō separabiliter

separabiliter, non tantum effectiue, ut Deus est in Dauide separabiliter & effectiue, sed ita, ut sit una persona seu ὁμοῦς αὐθενον unum, id est, ut sint inseparabiliter copulate due nature, diuina et humana unioe hypostatica, qua gestatur natura humana ἀ λόγῳ, propemodum ut anima & corpus hoīs sint unū ὁμοῦς αὐθενον, corpus gestatur ab anima, uel ut surculus insertus arbori ab ea gestatur: etsi hæc similitudo lōgius abest. Sed tamē hoc utcūq; pingit naturā humanā seruata esse, quia Filius massam assumpsit, & nos hinc massæ inserti seruamur. Quia ex plenitudine Filij accipimus, placemus propter ipsum, & uiuificamur immediatē per eum, sicut inquit: EGO SVM VITIS, VOS palmites. Æternus pater misit Filium, per quem patefit promissio, & hic Filius colligit Ecclesiam, est redēptor, & uoce promissionis dicit consolationem in cordibus, & dat Spiritum sanctum. Sic cum in eo habitet omnis plenitudo diuinitatis, est efficax in nobis, & accipimus ex eius plenitudine uitam æternam, sapiētiam & iusticiam æternam.

Postea repetita est cōmemoratio beneficiorū Christi, liberatiōis à peccato & à morte, et inserta est illustris imago triūphi Christi, in qua figura uerborū sumptæ sunt à Regū triūphis, in quibus spolia hostiū anteferebātur currui triūphali.

Deinde captiui hostes ligati ducebantur ante uictorem. Ita hic dulcissimè inquit spolia præferri pendentia in cruce, uidelicet, chirographa peccatorum nostrorum deleta. Quomodo pingi potest illustrius remissio peccatorum & reconciliatio quàm in hac ipsa imagine, in qua dicitur accusatio deleta esse, & gestari in cruce Christi? Quia Filius redemptor pro nobis satisfecit æterno Patri, & sustulit accusationem. Ducuntur & uincti Diaboli, ut sciamus quanquam infirma est Ecclesia, tamen à uictore Christo inter insidias Diabolorum & furores Tyrannorum & hereticorum defendi eam. Sicut & in Ioanne dicitur: 1. Ioann. 3. Apparuit Filius Dei ut destruat opera Diaboli.

Redit postea Paulus ad admonitionem de uitandis corruptelis doctrinæ, & nominatim ponit hanc asseuerationem, quòd non sit peccatum uiolare leges ceremoniales Moyse & traditiones humanas de cibis, festis & similibus externis ritibus, qui nō sunt iusticia cordis, & pingit præstigias, quibus astutè impostores spargunt falsa dogmata, uidelicet, artificiosam simulationē humilitatis, paupertatis & patientiæ, qua uideri uolunt supra cæteros homines exuisse communes cupiditates, uoluptatū, opum & gloriæ. Deinde iactantiam colloquiorum cælestium cum Deo &

Ange

Angelis. Vtriusq; modi uidet exempla nostra ætas, et est hic insigne uerbū: NEMO VOS MALE REGAT IN CERTAMINE. Βεαβευ τῆς est à ῥᾶβδος, id est, uirga, hinc est uerbum καταβραβεύειν, male regere certamen, seu decipere, metam transferre, aut quocunq; modo impedimentum obijcere.

IN tertio capite, cū antea recitauerit summam doctrinæ de beneficijs Mediatoris, & admonitiones de uitandis corruptelis doctrinæ, addit præcepta de bonis operibus interioribus & exterioribus, de exercitijs renouationis. In his etiam præceptum est insigne de studio discendi & docendi, quod eò magis amandum est, quia talia dicta quæ lectionē commendant testimonia sunt contra Stensfeldium, & alios fanaticos, qui abducunt homines à lectione doctrinæ & ministerio, & simul testantur lectionem & studia Deo placere, Deum per cogitationem uerbi scripti efficacem esse, Quod cum sciunt p̄ij, magis amēt legendi & discendi studia. Sit igitur familiarissimè notum hoc dictum: SERMO CHRISTI HABITET IN VOBIS COPIOSE IN OMNI SAPIENTIA, ET DOCETE ET EMENDATE VOS MUTVO. Copiose, inquit, habitat. Ergo sæpe multumq; legatur, conferantur iudicia. Cum inquit, Docete

et emendate uos mutuo. Sine igitur studia doctrinae, misceatur inuocatio, sicut alibi dicitur: Quanto magis Pater uester caelestis dabit Spūm sanctum petentibus. Utitur autem uerbo, Habitandi, ut significet assiduitatem, uidelicet, ut doctrina familiariter nota sit, sicut hi noti sunt, qui nobiscum habitant.

Simul autem hoc sciamus, ubicunq; in uera conuersione ad Deum fide cogitatur doctrina, in eo corde certissime simul habitat Deus ipse, id est, est praesens sua essentia et efficacia, uere adest et est efficax. Iohan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, et Pater meus diliget eum, et ueniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Et Ephes. 3. Ut habitat Christus per fidem in cordibus uestris. Coloss. 1. Ipse est caput Ecclesiae, perficiens omnia in omnibus. Nam Filius uoce Euangelij dicens consolationem in mente, ostendit praesentiam et misericordiam patris. Sic adsunt pater et Filius, et pater ac Filius spirant Spiritum sanctum in cor credentis, ut leticia, inuocatio, uita aeterna et omnes fructus Spiritus accedantur. Sic simul sunt pater, Filius, et Spiritus sanctus.

Haec pie et recte cogitanda sunt, et grata sit Emphasis in uerbo Habitandi. Iubet autem ut habitat in nobis sermo Dei in omni sapientia. Hec
admonitio

admonitio inseritur de diligētia, quæ habet duo
 extrema, ignauiam & Sophisticen. Non habitat
 sermo Dei in sacrificulis indoctis, qui legunt aut
 canunt sine intellectu & sine arte. Non habitat
 in Sophistis, Hæreticis & superstitiosis, qui curi-
 osas disputationes aut perniciosas opiniones se-
 runt, ut uanissima Sophismata sunt Monachorū,
 an Deus potuisset assumere naturam nō rationa-
 lem, an accidētia sint sine subiecto in Sacramen-
 to, an liceat consecrare fermentatum panem: ut
 blasphemie sunt Samosatēni, Manicheorum, Ar-
 rij, Seruēti, & aliorum hæreticorum. Item tene-
 bræ Papisticae, quòd homines sint iusti propria
 legis impletione, quòd homo semper dubitare
 debeat, an sit in gratia, quòd mortui homines
 sint inuocandi, quòd per Missas liberētur animæ
 ex purgatorio, quòd nemo possit esse Episcopus
 nisi à Papa confirmatus, quòd Papa habeat ut-
 runq; gladiū, q; uota Monachorū sint perfectio
 Christiana. Item deliria Anabaptistica, q; neces-
 saria sit Platonica cōmunio facultatū, q; sint res
 illicitæ suo genere iuramēta, iudicia, gerere Ma-
 gistratus, legitima militia, dicere causas in foro,
 quòd non liceat uti iure Romano, quòd solis Sa-
 cerdotibus tribuendæ sint decimæ. Postea in-
 gens chaos fuit traditionum superstitiosarū in-
 extricabiliū pavidis cōscientijs, de enumeratiōe
 delictorū in priuata cōfessiōe, de satisfactiōibus,

de indulgentijs, de prohibitione coniugij, de ieiunijs & alijs infinitis superstitionibus. Talia exempla cogitanda sunt, ut cōsideremus quare dicitur: **HABITET IN VOBIS SERMO DEI CVM SAPIENTIA**, hoc est, Sit uera diligentia in discendo, rectè distinguantur membra doctrinæ & collatio illustret ueritatem, non sit recitatio ociosa ἡ ἀπολογία, & omnino remoueantur Sophisticæ præstigiæ omnium hæreticorum. Non potest autem rectitudo iudicij retineri sine cura discendi, & sine inuocatione Dei. Quare & Psalmo 46. dictum est: Psallite sapienter. Et de precatione dicitur Psalmo 118. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

In eodem capite continetur & hæc insignis sententia: **DILECTIO EST VINCVLVM PERFECTIONIS**. Hic aliqui ociosas disputationes de perfectione mouent, cum Grammatica explicatio sit plana. Perfectio significat hic coagmentationem, ut in ædificio cum iunctæ & coagmentatæ sunt trabes, nō diuulsæ, nō excussæ, nō corruit opus. De hac perfectiōe, hoc est, coagmentatiōe hic loquitur, qua coheret corpus ecclesiæ, congruunt firmi & infirmi, docti utuntur ὑποταξίᾳ erga rudiores dociles. Huius perfectionis, id est, coniunctionis uinculū est dilectio,

lectio,

lectio, ut in Senatu etiam si quando dissentiunt Scipio & Fabius, tamen non oritur inde distractio Reipub. Quia cum illi idem spectent, hoc est, ad eundem principalem finem tendant, ut salua sit Respub. cum sint amici, alter alteri cedit. Ita amicitia ipsorum uinculum est concordiae imperij. Contra Marius & Sylla nec ad unum finem tendunt, nec sunt amici. Ideo dilacerant Rempub.

Sic in Ecclesia docti ac boni iudicijs aliquando dissentiunt, & tamen alter alterum tolerat et audit. Sed quando mentes sunt exulceratae, tunc etiam recte dicta liuore & maleuolentia deprauantur. Postea queritur praetextus, queritur ubiq; rixandi occasio, sicut Salomo inquit: Qui uult deserere amicū, querit occasionem. Haec non accidunt ubi est dilectio. Ideo Paulus nominat dilectionem uinculum perfectionis, hoc est, communis concordiae. Ac non loquitur de perfectione priuata ullius personae, sed de integritate uniuersi corporis Ecclesiae. Ceterum obseruetur usus uocabuli, Perfectus. Alibi perfectum dicitur substantia, ut puerum dicimus perfectum hoīem, hoc est, substantia: alibi perfectum quātitate seu gradibus, ut cū dicimus: Nemo habet perfectam obedientiam iuxta legem Dei. Loquitur de perfectione graduum. Paulus eodem nomine dupliciter utitur Philippen. 3. Qui perfecti sumus, a-

liter sentiamus. Hic nominat perfectos, retinentes fidem & bonam conscientiam, sine corruptelis, quod nominamus perfectum substantia. Sic ad Abrahamam dicitur, Esto perfectus. Postea inquit Paulus se non perfectum esse, hoc est, non habere se omnes gradus obedientiae, quod nominamus perfectum gradibus. Saepe perfectum significat idem quod non simulatum, ut Christus inquit: Gaudium vestrum sit perfectum, hoc est, non simulatum, non hypocriticum, ut Deus uoce Euangelii, Spiritu sancto sic consolatur nos, ut leticia in corde sentiatur & uita restituatur. Philosophicae consolationes non adferunt uitam & leticiam cordis. Sic & Petrus inquit: Perfecte sperate, hoc est, non sit spes simulata. In dicto Christi: Si uis perfectus esse, uade, uende omnia &c. & sequere me, simplicissima enarratio est interpretari perfectum pro non simulato, non hypocritice. Cum enim adolescens gloriatus esset se mandato Dei satisfecisse, subiicit Dominus ut retegat hypocrisin eius: Ergo ut ostendas te mandata non hypocritice seruare, & gloriam Dei querere, me sequaris in ministerio. Cum autem ille recuset sequi, refutatur eius iactantia. Ostendit enim se non esse perfectum, hoc est, sincerum sine hypocrisi. Sed addatur et altera enarratio. Nequaquam perfectio est opus melius operibus Decalogi. Quia nulla est melior obedientia, iuxta haec dicta: Mises-

ricordiam uolo nō sacrificium, & scientiam Do-
mini, non holocausta. Item: Frustra colūt me mā-
datis hominum. Item, Melior est obedientia quā
uictimæ stultorum. Ergo perfectio hoc loco in-
telligatur de opere præcepto, scilicet, Sequere
me, et intelligatur perfectū non gradibus sed sub-
stantia, ut cum dicitur ad Abraham. Esto perfe-
ctus, scilicet, retinens fidem & bonam conscien-
tiā. Ad hanc pertinet, obedire quēq; suæ uoca-
oni. David uocatur ad regnū, hic adolescēs uo-
catur ad ministerium Euangelij. Hæ interpreta-
tiones uocabuli Perfectus tenendæ sunt ad refu-
tanda deliria Monachorum, qui opera non man-
data à Deo, hypocriticā paupertatem & alias hy-
procrises nominarunt perfectionem.

Duplex est autem desertio facultatum, Alia
necessaria propter confessionē aut uocationem.
In tali desertione obedientia est opus à Deo præ-
ceptum, scilicet, anteferre professionem seu uo-
cationē uitæ & facultatibus. Ideo est opus bonū
& cultus Dei in credente. Alia est desertio non
necessaria, hoc est, quæ neq; propter cōfessionē,
neq; propter uocationē fit, qualis est Cynica de-
sertio facultatū, ut cū Crates suas possessiōes reli-
quit, ne impediretur in sua Cynica philosophia,
qui postea nō uocatus ad quæcunque cōuiuia ac-
cedebat. Hæc desertio nō est opus bonū, et cū ac-
cedit superstitio aut captatio, peccatum est.

In eodem capite inquit, CORAM DEO NON EST ACCEPTIO PERSONARVM, quam nominat Græca compositione $\tau\acute{\rho}\omicron\sigma\omega\tau\omicron\lambda\eta\psi\acute{\iota}\alpha\epsilon\nu$. Est autem uocabulū ex Hebræo factum, Deuteronomij 10. Dominus Deus uester personam non accipit. Hebraicè faciem, hoc est, externam speciem nō antefert causæ. Significat. n. de causa æqualiter iudicare, sine respectu aliorū accidentiū extra causam. Quod igitur Græci nominarūt $\tau\acute{\rho}\omicron\sigma\omega\tau\omicron\nu$, in Hebræo est facies, hoc est, species. Sæpe autem Apostoli repetūt hoc dictum ex Deuteronomio, Rom. 2. & in Actis cap. 10. Teneatur igitur descriptio. Personarū acceptio est dare inæqualia æqualibus, aut æqualia inæqualibus. Græci simpliciter nominant inæqualitatem & Tyrannidem iuxta uersionem:

Dat ueniam coruis, uexat cēsura columbas.

Sæpe autem præcipit Deus ut iudex sit æqualis, ut Deuteronomij 1. & uult se quoq; agnosci æqualem. Item irascitur peccato in omnibus, & omnes recipit confugiētes ad Filiū. Has regulas uult esse firmissimas.

Hæc doctrina utilis est ad confirmandum timorem Dei, & ad confirmandam fidem, Non blandiatur sibi Dauid, cogitans Deum non esse puniturum adulterium ipsius, Quia præclare
meritus

meritus sit. Nec desperet Aaron, Manasses, Nabugonosor, Petrus, Latro in cruce, quia multa magna delicta habent, sed teneant regulam: Gratia exuberat supra delictum, & coram Deo non est personarum acceptio.

Vult autem Deus de Essentia & uoluntate sua iudicari ex uerbo, in quo se patefecit. Tribuenda est igitur ei equalitas, sicut toties affirmat. Non est in Deo $\tau\rho\sigma\omega\tau\omicron\lambda\eta\psi\iota\alpha$.

Hanc consolationem teneamus contra tentationem de particularitate. Duæ sunt enim principue tentationes, altera de Dignitate, altera de Particularitate. Primum enim trepidamus & dubitamus nos recipi, quia sumus indigni, & cernimus magnam peccatorum molem, aduersus quæ ira Dei in lege certissime denunciatur iuxta dictum: Deus ignis consumens est. Aduersus hanc tentationem opponenda est particula GRATIS. Item hæc sententia: Gratia exuberat supra peccatum.

Etsi autem difficile est eluctari ex hac tentatione, Tamen altera tentatio de particularitate rursus duriter excruciat animum, cum uidelicet disputamus an simus in numero electorum, & plurimi in hac ipsa dubitatione fiunt languidiores: Quid laboras, si non es in numero electorum? Huic consternationi tristissime opponantur pro-

missiones uniuersales, & mandatū uniuersale et
 summū, ut audiamus Filiū, & hæc dicta de æqua-
 litate Dei: Non est $\omega\rho\sigma\omega\tau\omega\lambda\eta\psi\iota\alpha$ in Deo. V-
 traq; cōcio est uniuersalis. Accusat Deus omnes
 propter peccata, uult omnes agere pœnitētiam
 & confugere ad Filium. Nec dubium est omnes
 homines huic summo præcepto debere obedi-
 tiam: Audite Filium, & filius inquit: Pœnitētiam
 agite & credite Euangelio. Nec fingendum est
 Filium cum inquit: Venite ad me omnes, qui la-
 boratis et onerati estis, ego reficiam uos etc. nō
 esse ueracem legatum. His erecti cōsolationibus
 repugnemus dubitationi, et statuamus Deum æ-
 qualem esse, & uerè nos quoq; recipi confugi-
 entes ad Filium, sicut scriptum est: Omnis qui
 credit in eum non cōfundetur. Item, Diues Deus
 in omnes & super omnes, Item, Omnis qui inuo-
 cauerit nomen Domini saluus erit. Ad hanc con-
 solationem adhibeātur hæc dicta: Non est $\omega\rho\sigma\omega\tau\omega\lambda\eta\psi\iota\alpha$
 apud Deum, & confirmetur Fi-
 des in inuocatione promissionibus &
 mandatis diuinis, quæ præ-
 cipiunt credi Filio
 Dei.

EPIST,

EPISTOLAE PAVLI

APOSTOLI AD COLOS-
SENSIS CAPVT
PRIMUM.

Paulus Apostolus Iesu
Christi.



IN titulo fit officij mentio. Quia
necesse est in Ecclesia sciri, unde
doctrina accepta sit. Quia Euā-
gelium non est sapientia ratio-
ni nota, sed est diuinitus reuela-
tum initio per ipsum Filium Dei additis illustri-
bus testimonijs & miraculis diuinis.

Postea repetitum est in multis patefactioni-
bus diuinis, & addita sunt miracula. Ideoq; missi
sunt Filius ipse, Prophetæ & Apostoli, & Ec-
clesiæ mandata est propagatio Euangelij, &
uocationum differētiæ considerandæ sunt. Est
enim Propheta persona immediatè uocata à
Deo ad illustrādam promissionem de Christo, et
habet testimonia diuina quòd non erret, & mis-
sus est ad aliquam partem politicæ gubernatio-
nis, in qua ostenduntur miracula.

Apostolus est persona immediatè uocata à Deo ad docendum Euangelium, et habet testimonia diuina q̄ non erret, nec missus est ad politicam gubernationem.

Episcopus, seu Pastor, seu Doctor est persona uocata à Deo mediatè per Ecclesiam, aut eos quibus hoc Ecclesia commendat, ad docendum Euangelium scriptum per Prophetas & Apostolos, nec habet aliud testimonium quòd non erret, nisi ipsa scripta Prophetica & Apostolica, ab his cum dissentit, errat, sicut multorum lapsus aliij maiores aliij minores acciderunt, accidunt & accident. Has distinctiones uocationum necesse est considerare propter homines politicos, qui interrogant cur magis credendum sit Paulo quàm Episcopis qui habent ordinariam potestatem, Paulus aut uidetur uagari ut erro. Hic sciendum est Apostolos singulari uocatione immediatè à Deo missos esse, & habere diuina testimonia quòd non errent, & eorum uoci credendum esse, sicut uoci Dei immediatè de cælo sonanti. Et necesse est Ecclesie hoc commemorari, quòd sint immediatè uocati à Deo, & perferant non à se inuentam doctrinam, sed traditam per Filium Dei, qui est in sinu æterni Patris, & primus protulit Euangelium. Ideo toties repetunt Prophetæ: Hæc dicit Dominus. Et Paulus multis uerbis
ad

ad Galatas primo mentionem facit suæ uocationis. Necessaria est & hæc consolatio, quòd scimus Deum uerè uelle efficacem esse per Euangelium etiam cum hi docent, qui sunt ab Ecclesia uocati, sicut Paulus præcipit Tito, item Timotheo ut constituant Presbyteros, ut cõmendent Euangelium idoneis ad docendum, Quia Filius immediate efficax est siue per Prophetas siue per Apostolos, siue per Pastores annuncietur Euangelium.

Gratia & pax à Deo.

GRATIA significat gratuitam reconciliationem & acceptationem propter Mediatorem, cum qua tamen est coniuncta uiuificatio, quæ fit per Filium accensa uera agnitione Dei per Euangelium in mente, & effuso Spiritu sancto in corda, sicut Rom. 8. dicitur: Qui Spiritum Christi non habet, non est eius. Ideo Paulus hæc duo coniungit, Gratiam & donum per gratiam, ubi gratiam intelligit relatiuè de reconciliatione & acceptatione propter Filium, sicut alibi dicitur: Dilecti in dilecto. Donum uero intelligit sine ulla dubitatione donata beneficia, quæ sunt in nobis, scilicet, quòd efficiamur templa Dei, & donamur uita æterna. Et quidem intelligatur donum non de inchoatione tantum, sed de tota consumma-

tione beneficiorum Christi.

Vocabulo P A C I S Hebræi utuntur sicut nos uocabulo Salutis seu Leticie. Significat igitur hoc loco primum leticiam in D E O, deinde bonum statum Ecclesie, & priuatim dona Dei singulis necessaria in sanctificatione, uita & uocationibus. Item tranquilla imperia, successus in gubernatione. Hæc Grāmatica explicatio uocabuli Pacis quàm latè pateat cogitandū est, ut cum in Psalmo dicitur: Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem

A Deo patre nostro & Domino Iesu Christo.

C V M coniungit æternum Patrem & Christum, duo hæc consideremus, Omnipotentiam Filij & intercessionem, cum ait dari gratiam & donum simul à Patre & Filio, significat Filium etiam natura Deum esse. Et huc adiungamus hæc dicta: Pater meus usq; modo operatur, & ego operor. Item, Benedicat his pueris Deus omnipotens, & Angelus qui eripuit me ex omnibus malis. Item, Omnia per eum consistunt.

Secundò consideremus, etiam eò fieri mentionem Filij, ut admoneamur de Mediatore, omnia bona quæ dantur Ecclesie, dantur propter Mediatorem, qui & sacrificium suum pro nobis obtulit,

obtulit, & semper intercedit pro nobis. Hic repetatur communis doctrina de discrimine vere & false inuocationis. Discamus seiungere nostram inuocationem ab Ethnica, Turcica & Papistica, & quotidie in inuocatione cogitemus quem Deum alloquamur, ubi & quibus testimonijs patefactum, & quare exaudiamur.

Vsitate autem sic discernimus inuocationem Christianam ab alijs populis. Errant Ethnici & Mahometistæ de Essentia & uoluntate Dei, negant hunc uerè esse Deum, creatorem cæli & terræ, & hominũ, qui se patefecit misso Domino nostro Iesu Christo, et testimonia de se in Ecclesia dedit, & qui sic reuelatus est in Ecclesia, quòd diuinitas sit æternus Pater, & λόγος & filius æterni Patris semper missus ad Ecclesiam, & Spiritus sanctus letificans & confirmans eam. Sed uagantur Ethnici nescientes quid inuocent, sicut Hecuba apud Euripidem inquit: O Iupiter quicquid es, siue hoc cælum siue mens in cælo. Deinde de Voluntate errant, quòd nesciunt an et cur exaudiat, et inuocant in dubitatione perpetua, sicut & Papistæ docent.

At nos in Ecclesia inuocantes primum de Essentia cogitemus hunc esse uerum Deum, creatorem, qui se patefecit misso Domino nostro Iesu Christo, & qui docet nos in Ecclesia diuinitatem esse Aeternum Patrem, & λόγος

Filiū semper ad Ecclesiam missum, & Spiritum sanctum lætificantem & confirmantem corda. Has tres personas simul mente intueamur, & sciamus simul ab eis dari bona, quia actiones ad extra sunt communes tribus personis, iuxta hæc dicta: Omnia per ipsum facta sunt. Atē, Omnia per ipsum consistunt. Item, Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis uirtus eorum.

Deinde & de Voluntate cogitemus, uelle Deum inuocari non cum dubitatione, de qua apud Poëtam dicitur, Esse deū assentior, sed an curet humana dubito: Sed uelle nos credere quòd uerè uelit nos exaudire propter filium Mediatorem Deum & hominem, uelle mentionem Filij fieri, sicut dicitur: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Iubet peti nomine Mediatoris, quia fiducia, quòd non sit irrita inuocatio, nititur Mediatore. Quare semper in inuocatione utroq; modo cogitandum est de Filio. Primum tanquam de datore bonorum cum Patre et Spiritu sancto. Secundò rursus tanquã de Mediatore seu intercessore. Quia clarè sic dicit: Quicquid petieritis Patrē in noīe meo, hoc dabit uobis. Rom. 8. dicitur, Qui sedet ad dexterã Patris ut interpellet pro nobis. Et Hebræ. 7. Semper uiuens, ut interpellet pro eis. Mandatum est ut credamus

credamus nos exaudiri, iuxta dictum: Quomodo inuocabunt si non credent? Item, Orate sine ira & hesitatione. Niti fides debet non nostra dignitate, sed Mediatore. Ergo necesse est Filium ut mediatorem agnoscere & alloqui.

Quòd uero obijcitur dictum Iohan. 16. Non dico uobis quòd ego precaturus sim pro uobis, Grammatica & uera responsio est non excludi Christi precationem, ut si Dux dicat, non dico me praeliaturum esse, sed uos mecum praeliabimini. Hic satis apparet in posteriore membro affirmatiuam sententiam esse, sicut & eodem loco inquit: In illo die in noie meo petetis. Vult ergo nūc quoq; agnosci quòd sit Mediator, & intercessor. Non est igitur exclusio intercessionis Christi, sed est correctio erroris de omissione nostræ precationis, seu admonitio ut adiungatur nostræ precatio. Iam cogita quàm dulce mandatum sit, quòd præcipit, ut nos quoq; accedamus ad Deum, ut nos ad ipsius intercessionem adiungamus nostræ uota & nostros gemitus, uult te quoq; precari, nec uult nos ignauos aut ociosos milites esse, sed uult ut ipsi quoq; accedamus ad Deum, sicut dux uult milites simul praeliari, etc. Hac Grammatica & uera responsione contenti simus, & meminerimus dulcissimam cōsolationem nobis propositam esse, quæ affirmat, & audiri nostras preces

et nos simul cum Filio diligere propter ipsum, sicut eodem loco dicitur, Ipse Pater diligit uos. Hanc dulcissimam consolationem non sinamus corrumpi uenenata Sophistica.

Exordium continet gratiarum actionem et precationem, sicut in exordijs maximè grata et usitata sunt uerba affectuum, gratulationum, querelarum etc. Estque summa sententiæ: Deo gratias ago, quòd uos ad agnitionem Filij uocauit, et accendit corda uestra, ut Euangelio credatis, et oro ut uos confirmet. Hæc Paulus pluribus uerbis dicit, in quibus phrasi considerata nihil est obscuritatis. estque sumpta sententiæ ex communi doctrina, quòd Euangelium sit sapientia non nota rationi, sed immensa misericordia Dei reuelata per Filium. Item, quòd hanc mirandam sapientiam ratio non accipiat fide, nisi Filio ipso monstrante, mentes et corda accendente et confirmante, ut assentiamur et retineamus assensionem et fidem, sicut Paulus inquit ad Galatas: Ut promissionem Spiritus accipiamus per Fidem.

Qui est Imago Dei &c.

IN Christo nato ex Virgine esse duas naturas, λόγος et naturam humanam, expresse affirmat narratio in Iohanne: Et Verbum caro factum est, et λόγος non esse sonum euanescentem, sicut
multi

multi astute cavillati sunt, sed esse ὑψιστάμενον illa ipsa narratio in Iohanne ostendit.

Sed teneamus illustres confirmationes, quæ cogitentur in quotidiana invocatione. Iudico firmum testimonium esse invocationem, qua Patres alloquuntur hunc Dominum, ut agentem aliquid. Sentiunt igitur esse ὑψιστάμενον vivum, intelligentē, & cum Patre efficacem, sicut ait Iacob: Benedicat his pueris Deus, & Angelus qui eripuit me ex omnibus malis. Hic sine ulla dubitatione Angelus intelligitur persona missa, persona benedicens aut liberans. non est angelus, qui est creatura. Et Paulus expressè dicit Christū fuisse apud Patres in deserto, & ipse inquit: Antequā Abraham natus est, ego sum. Et hoc loco ad Colossenses inquit Paulus, Per Christum omnia condita esse & conservari Non sunt autem conditæ creature per naturam humanam, & tamen in hoc homine Christo est natura conditrix Ergo λόγος & nō est sonus evanesens. Confirmatio est etiam illustris in dictis de Omnipotentia, cum inquit: Ego vitam eternā do eis. Item, Ego sum vitis, vos palmites, sine me nihil potestis facere. Et 1. Iohan. 4. In hoc scimus, quod in eo manemus & ipse in nobis, quia de Spiritu suo dat nobis. Natura finita non potest dare Spiritum sanctum, Est ergo ante assumptionem nature humane persona missa,

quæ λόγος & Imago æterni patris dicitur, ut
 Hebræ. i. expresse nominatur ἀπαύγασμα glo-
 riæ, hoc est, lucis paternæ, sapientiæ & iusticiæ,
 & Imago substantiæ paternæ. Ibidem etiam affir-
 matur per hunc qui est Imago æterni Patris om-
 nia condita esse & sustentari. Hæc natura con-
 ditrix cum sit in homine Christo, necesse est nõ
 esse evanescentem sonum. Alioqui enim nõ esset
 in homine Christo, si esset sonus evanescens. Di-
 citur autem Imago, quia Pater sese intuens hac
 cogitatione sui gignit imaginem suam, & cum
 hæc imago substancialis deinde fulgeat in natura
 humana Christi, qui perfectè agnoscit æternum
 Patrẽ, & perfectè iustus est, & similis Deo pro-
 pter imaginem substantialem in ipso fulgẽtem,
 dicitur Christus Deus & homo imago æterni
 Patris.

Cum autem dicitur Filius Imago æterni Pa-
 tris, cogitemus non solum de arcana Patris &
 Filij collatione, sed de patefactione erga nos. Ta-
 lis est Pater qualem esse Filius annunciat, & ser-
 mo est imago mentis. Ideo dicitur: Deum nemo
 uidit unquã, sed Filius qui est in sinu Patris, ipse
 enarrauit nobis. Item: nemo nouit Patrem nisi Fi-
 lius, & cui uolet Filius reuelare. Sic igitur agno-
 scamus Deum, sicut per hunc Filium patefactus
 est, scilicet sapientem, ueracem, bonum, benefi-
 cum

cum, iustum, iudicem, castum, omnipotentem, liberrimum. Et quāquam immutabiliter iustus est, tamen remittentem peccata & reddentem iusticiam & uitam eternam propter Filium & per eum. Hanc sciamus uerè uoluntatem Dei esse, nec imaginemur in eo contradictorias sentētias.

Secundò nomen Imaginis commonefacit nos de discernendo uero Deo ab omnibus commenticijs numinibus. Proponit tibi inuisibilis diuinitas hunc Filium uisibilem, & iubet te inuocare hunc uerum Deum, qui misit hunc redēptorem: & addidit ei testimonia, & uerè in isto redemptore habitat, sicut inquit: Qui uidet me, uidet Patrem.

Tertiò sciendum est hanc Dei Imaginem ad nos missam esse, ut nos rursus per eum fiamus Imago Dei, hoc est, ut luceat in nobis agnitio Dei per Filium accensa, qua rursus efficiamur conformes Deo, sicut 2. Corinth. 3. dicitur: Agnoscentes Deum per uocem Euangelij, transformamur in eandem Imaginem, hoc est, Lux similis uerbo in nobis accenditur. Athanasius dicit: Congruebat Filium assumere naturam, humanam, ut per Imaginem Dei essentialem homo restitueretur, conditus ut esset Imago Dei creata, Quia per uerbum, quo diuinitas patefit, restituitur Imago.

Hæc reuerenter & piè cogitanda sunt, & in

uera Inuocatione discenda, in qua mens intueri debet Deum patefactum per hunc Filium, & discernere ueram inuocationem ab Ethnica.

Omitto hic præstigias Samosatani & Arrij & similiũ, qui cauillati sunt: Imago est umbra alterius rei, &c. Tales Sycophantias hic ipse textus refutat, cum postea inquit: Per Filium omnia esse condita & conseruata. Et ad Hebræos dicitur Character Substantiæ, uidelicet, substantialis Imago.

Primogenitus uniuersæ creaturæ &c.

Simplicissima enarratio est de dignitate. Primogenitus, hoc est, dominus omnium creaturarum, iuxta hæc dicta, Psalmo 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Et Matthæi ultimo: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, Et hic dicitur: In eum omnia sunt condita, hoc est, propter eum, id est, ut in hoc Filio se patefaciat Deus, & ostendat in hac miranda copulatione diuinæ et humanæ naturæ suum amorem erga genus humanum. Et cum per hunc Filium immediatè colligatur Ecclesia, potestas eius est etiam immediatè supra omnes creaturas. Filius propter collectionem Ecclesiæ immediatè seruat cælum & terram, genus humanum, ministerium Euangelij, defendit

fendit Ecclesiam contra rabiem Diabolorum,
 contra Tyrannos & contra fanaticos furores, &
 est iudex, punit & puniet impios, interea simul
 orat pro nobis æternum Patrem, & est efficax
 uoce Euangelij, ut aliqui conuertantur, remittit
 peccata credentibus, exaudit, protegit, lenit pœ-
 nas, multa mitigat in ordine naturæ, pascit nos, iu-
 uat & saluat inuocantes ipsum, sicut inquit: Ve-
 nite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.
 Item, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.
 Sine me nihil potestis facere. Sedet ad dexteram
 æterni Patris, dans dona hominibus: Ipse est ca-
 put Ecclesiæ, perficiens omnia in omnibus.

Hæc de iure Primogenituræ, hoc est, de
 dominio Christi cogitanda sunt, & ad consolati-
 onem & ad inuocationem transferenda: nec co-
 gitetur esse ociosa dominatio, sed uerè efficax in
 creaturis & in nobis. Hanc præsentiam Filij Dei
 & hoc dominium putant inanes fabulas esse, illi,
 qui nec curant iudicium ipsius, nec auxilium.
 Additur hîc illustre testimonium de omnipoten-
 te natura in Filio, In hoc uisibili Filio est λόγος,
 per quem omnia condita sunt, Ergo λόγος non
 est sonus creatus euanesceus, sed est ὑφιστάμενος
 uos & omnipotens,

Throni siue dominati-
 ones &c,

Thronos, dominationes, principatus & potestates intelligit uetustas angelos, nos oīa imperia & ordinem creaturarū, politiarum, æconomiarum, coniugij, legū, gubernationem in cælo & in terra intelligimus. Certè hoc uult dicere, omnes creaturas et creatas & ordinatas esse per hunc Filium, etiamsi postea ab illo ordine discesserunt Diaboli & homines.

Quòd Filius sit natura Deus, manifesta hīc testimonia posita sunt, Quia dicitur, Omnia per ipsum esse condita, & dulcissimè hīc addit: Ipse est ante omnia. Hoc cū dicitur, necesse est intelligi in eo naturā esse, quæ fuerit ante assumptionē humane nature. Hinc perpicuè sequitur λόγος non esse sonum euanescentem, cum de Christo dicitur quòd sit ante omnia.

Nota est autem hæc phrasis, per Filium omnia condita esse. Etsi enim omnes actiones ad extra sunt cōmunes tribus Personis, Tamen sua cuiusq; persone est proprietas, & dictum Augustini concinnum est: Agit Filius per se, non à se. Pater uult creationem & totū ordinem rerū, & exprimit hanc uoluntatem per uerbum, quo dicente res fiunt & ordine distinguuntur, ut in Genesi scriptū est: Dixit Dominus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et Spiritu sancto simul creante fouentur res, si-

cut

cut in Genesi scriptū est: Spiritus Domini ferebatur super aquas, seu fouebat aquā. Diligenter autem considerandū est, ubicunq; sit creationis mentio, simul intelligendā esse presentiam Dei in conseruatione substantiarum, iuxta hæc dicta: In ipso uiuimus, sumus & mouemur. Deuteronom. 30. Ipse est uita tua & longitudo dierum tuorum. Nec sic intelligatur creatio, ut fabricatio nauis, à qua discedit architectus postquam eam extruxit, sed substantiæ rerum interirent, nisi deinceps quoq; conseruarentur à Deo, quem tamen sciamus adesse creaturæ liberrimè, iuuare, ornare, moderari, aut deserendo destruere naturam liberrima uoluntate. Ideo dicit hic: Omnia per eum consistunt. Et Hebræor. 1. Ferens omnia uerbo potentie suæ. Sed quare dicit: Omnia in ipsum cōdita sunt? Hoc est, hic Filius est causa finalis quare Deus omnia condiderit. Quia hæc copulatio diuinæ & humanæ naturæ est summū opus Dei, sicut inquit: Adhuc semel & mouebo cælum & terram, & in hac copulatione diuinæ & humanæ naturæ conspicitur multiplex sapientia Dei, & immensus amor erga genus humanum. Erit sapientia in tota æternitate discenda, in hoc Filio uidere modum huius copulationis, & causas uidere, & qualis sapientia sit Lex, & quæ causa sit cur Filius constitutus sit ut sit precium

pro Lege, qualis sit Filij missio ad colligendam Ecclesiam, qualia fuerint opera in omni liberatione. Hæc tota sapientia conspicitur in illa consideratione Filij, cuius uult Deus initia in hac uita disci iuxta dictum: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.

Expresse fatentur scriptores libro. 3. sentent. distinctione. 13. nomen capitis tribui toti personæ, Christo, & alias proprietates competere ei secundum humanam naturam, alias secundum diuinam naturam. Est autem caput efficacia, perfectione, merito, & ordine:

Primum efficacia, quia hæc persona proprie missa est, ut immediatè per eam æternus Pater colligat Ecclesiam. Hæc persona initio profert Euangelium, adest Ecclesiæ, & eam sustentat, & protegit immediatè. Similitudo cogitari potest, Sicut caput in quolibet homine demittit neruos & spiritum animale in reliquum corpus, qui sunt causa sensus & motus. Ita Filius Dei sustentat & docet nos, sicut dicitur ad Ephesios, Perficere omnia in omnibus. Item, Nemo nouit patrē nisi Filius. Item, Ego uitam æternam do eis. Etsi autem hæc efficacia est capitis, tamen personæ tribuis

tribuitur, quia efficax est in hac assumpta natura, ut 1. Corin. 15. dicitur: Per hoïem mors, & per hominem resuscitatio mortuorum. Multe actiones sunt ministerio assumptæ naturæ, ut cum iudicabit resuscitados uisibiliter. Est autē & sua efficacia assumptæ naturæ, quæ antecellit omnibus creaturis potentia, depellit Diabolos, & protegit Ecclesiam, & multa potenter agit, quæ capiti congruunt.

Secundò caput Perfectione sic dicitur, non solum secundum diuinam naturam, sed etiam iuxta humanam, quia natura humana in Christo antecellit sapientia omnibus Angelis.

Tertiò est caput Merito, iuxta humanam naturam, qua cum perfectissima obedientia meruerit Ecclesie redemptionem & salutem æternam, iustum est eum superiorem esse in uniuersa Ecclesia.

Quartò, Ordine propter missionem, sicut Iohannes inquit: Prior me est. Quia hæc persona ad Ecclesiam initio missa est, ut proferat Euangelium ex sinu æterni Patris. Usitatè dicitur, Christū nominari caput, quia dignitate antecellit. Sed intelligatur non ociosa dignitas, uerùm hæc omnia comprehenduntur, Efficacia, Perfectio naturæ diuinæ & naturæ humanæ,

Meritum & Ordo. Adiungatur autem dictum ad Ephesios: Ipse est caput Ecclesie, omnia in omnibus perficiens. Et sicut ipse inquit: Ego sum uitis, uos estis palmites. Item, Ex plenitudine eius omnes accepimus. Ideo hic inquit: In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis, uidelicet donorum, sapientie, iusticie, nec tantum sic, ut ipse pro se ornatus sit hac excellentia, sed etiam ut sit efficax in alijs, sicut in Psalmo dicitur: Unxit te Deus tuus oleo leticie propter cōsortes tuos, & repetetur hæc sententia infra, ubi copiosius est enarranda.

Et per eum cuncta reconciliare erga se pacificatis per sanguinem crucis eius &c.

In Ephesijs dulcissimè dicitur, redigere ad unū caput omnia in cælo & in terra. Fuerunt uni capiti Deo conformes, & adiunctæ omnes rationales creature, ante lapsum Diabolorum & hominum. Postea cogitetur quam tristis auulsio sit, in qua Diaboli horribili furore in tota eternitate irascuntur Deo, & contumelijs eum afficiunt, in seipsis & in genere humano quantumcunq; possunt, ut ostendunt blasphemie, cædes, libidines & alia scelera, ad quæ Diaboli impellunt miseros homines, tantum ut contumelia Deum afficiant.

Vt autem rursus cum capite Deo copuletur genus humanum, Mediator constitutus est, qui est caput Ecclesie, adiungens nos capiti Deo. Sic in cælo & in terra sanatur illa auulsio, sicut postea dicitur: Faciens pacem in cælo & in terra, uidelicet, inter Deum & hominem. Et aliquoties repetit: Per sanguinem, per mortem, per corpus Christi, ut adducat & sistat nos sanctos, inculpatos & non accusandos coram eo. Hæc uerba opponantur erroribus Papisticis, qui fingunt homines mereri remissionem peccatorum propter disciplinam, & iustos esse propria impletione Legis, Paulus contra affirmat, sanguine & morte Filij Dei, id est, obedientia tota nos reconciliari. Ad datur autem & ex alijs locis particula GRATIS, quæ expresse excludit nostra merita. Ordo autem uerborum ostendit, quæ res fiant in iustificatione hominis coram Deo, ideo Filius missus est, ut hoc mirandum decretum patefaciat, quòd Deus uelit Filium esse uictimam, et propter eum remittat peccata, restituat iusticiam & uitam æternam, exaudiat & mirabiliter regat, & protegat. Et in ueris doloribus primum & summum certamen est, an Deus tibi remittat peccata, & an te recipiat. De hac lucta dicitur: Iustificati fide pacem habemus. Cumq; apprehenditur fide imputatio iusticie, & remissio peccatorum

simul in hac ipsa consolatione Filius Dei per Euāgelium ostendit misericordiam & presentiam aeterni Patris, & datur Spiritus sanctus à Patre & Filio, quo cor ad assentiendum Euangelio trahitur, letificatur, confirmatur, uiuificatur, & ex doloribus inferorum liberatur, sicut Ezechias inquit: Tu eruisti animam meam ne periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Assueratio igitur de remissione peccatorum & imputatione iusticiæ recitatur hoc loco his uerbis: Vos qui eratis inimici, reconciliauit. & quidem addit: Corpore, morte carnis etc. ut significet nos propter obedientiam Filij placere Deo & acceptos esse, sicut Rom 5. dicitur: Propter unius obedientiam iusti constituuntur multi. Nec abducendæ sunt mentes ab hac consolatione ostendit speculationibus, quæ dicunt, homines iustos esse coram Deo propter iusticiam essentialem, et non per misericordiã imputata iusticia.

Ut exhiberet uos sanctos &c.

Deinde & reliqua uerba considerentur, ut sistat uos sanctos, inculpato, non accusandos, Hac uerba in hac uita sic intelligantur, SANC TOS, id est, conuersos ad Deum. Nam sanctitas significat ipsam effectiõem in Dei in nobis, qua homo & iustificatur fide, & iam est domicilium Dei,

Dei. Sequens uocabulum INCULPATUS, est usurpatum pro eo, quod in Genesi dicitur: Perfectus esto. Et in Psalmo, immaculatum, uidelicet, Imputatione & inchoatione, ut cum inquit: Sicut estis azymi. Ideo mox rursus addit uocabulum ἀνεγκλητοι, quod significat Non accusandos. & hic addit: CORAM DEO, quod necesse est intelligi de imputatione in hac uita, sicut Paulus inquit: Nulla nunc est condemnatio his qui in Christo Iesu ambulant. Ideo etsi in hac uita hærent in nobis multæ magnæ sordes, ignorantie, dubitationes, errantes flammæ &c. Tamē imputatione iusti sumus & ἀνεγκλητοι propter Mediatore, ut Roman. 5. dicitur: Iustificati fide pacē habemus apud Deum, per Dominū nostrum Iesum Christū, per quem & accessum habemus fide in gratiam hanc in qua stamus. Hæc fides autem re ipsa nititur obedientia Mediatoris.

Hoc modo diligenter pondera uerborū examinentur, ac in uita æterna erit consummata sanctitas, et erimus prorsus immaculati. Erit enim Deus omnia in omnibus beatis, hoc est, non erit ibi peccatum in sanctis, ut in hac uita.

**Siquidem permanetis in fide
fundati ac stabiles &c.**

Antea & de persona Filij Dei, & de beneficijs dixit, Nunc addit doctrinam de appli-

catione, quomodo illa beneficia æterna accipiamus & retineamus, scilicet, Fide. Exponitur autem hæc ipsa doctrina copiosius ipsius Pauli uerbis in Epistola ad Romanos, ubi antithesi illustratur: Ex operibus legis non iustificatur omnis caro. Item, Ut totus mundus sit reus Deo, Sed Fide iustificati pacem habemus. Hæc antithesis semper in conspectu sit. in uero agone & iudicio Dei omnes homines in hac deprauata natura agnoscant hanc concionem: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in cōspectu tuo omnis uiuens, Item Job 9. Verè scio quòd non sit homo iustus coram Deo. Et econtra intueamur hanc ueram consolationem, quòd immensa sapientia & bonitate Deus miserit Filium, & uoluerit eum fieri uictimam, & uelit sic & non aliter remittere peccata, & restituere in nobis iusticiam & uitam, & uiuificare homines Fide cum credunt se propter Filium Mediatorem gratis recipi & iustificari, non propter ullas nostras uirtutes & opera, sicut hæc Paulus in Epistola ad Romanos prolixius tradit. Ac significat Fides non noticiam historiae, qualis & in Diabolis est, sed assensum quo amplectimur promissionem. Paulus correlatiuè connectit fidem & promissionem Rom. 4. & enarrat uocabulum Ephes. 3. Per quem audemus accedere in Fiducia quæ est per fidem

dem

dem ipsius. Et fidem oportere intelligi fiduciam misericordiae propter Christum promissae, ostēdit ipsa antithesis, cum certissimum sit homines propter proprias uirtutes et opera non esse iustos coram Deo, sed per misericordiam, ut Psalmus inquit: Saluum me fac propter misericordiam tuam. Sequitur necessario, fidem intelligendam esse fiduciam misericordiae propter Filiū promissae, Quia misericordia aliter apprehendi non potest, nisi fide, & asseuerari de misericordia nihil posset, nisi promissio edita esset, quod Filius nobis donatus est, sicut Paulus inquit: Sumus dilecti in dilecto. Ita ex ipsa antithesi firmissimè ostenditur fidem intelligendam esse fiduciam misericordiae propter Filium promissae, & ita complectimur omnes articulos fidei seu Symboli. Ac sciant iuniores idem significari his propositionibus: Fide iustificamur, & per misericordiam propter Filium promissum iustificamur. Sunt enim correlatiuae propositiones, & utriusq; propositionis ueritas immota est, ut nominantur propositiones uerae per se non per accidens. Ac dicere Christum per accidens iustificare, execranda est blasphemia. Cum autem propositio, Fide iustificamur, rectè intelligitur, facile est Osandricam imaginationem refutare. Cum uniuersa scriptura doceat in iudicio Dei hominem per misericordiam fieri

iustum, hoc est, placentē & acceptum Deo, manifestum est alteram propositionē dissentire: Homo est iustus, quia Deus mouet eū ad iusta faciendā, sicut Osiander contēdit, & definit iusticiā. Iusticia est quæ mouet homines ad iusta faciendum.

Etsi autem uerū est, cum fide recipitur homo, hoc est, fiducia misericordiæ, simul Deum efficacem esse in credente: Tamen illa sequens nouitas non est id, propter quod persona accepta est, sed semper oportet præluere fidē, id est, fiduciā misericordiæ, iuxta dictū: Iustificati fide pacē habemus

Ne dimoueamini à spe Euangelij &c. cuius ego Paulus sum minister &c.

Sæpe repetit mentionem ministerij, ut sciamus uoci eius credendū esse, sicut uoci Dei de cælo sonanti, sicut Moses & Propheta dicunt: Hæc locus est Dominus. Necessè est enim ecclesiā certam esse, unde accepta sit doctrina, quam Apostolicum circumferūt, et sciri necessè est, aliam esse doctrinā Legis, aliā Euangelij, quod concionatur de promissionibus, quæ sunt extra & supra intellectum omnium creaturarū, et sunt ex sinu æterni Patris prolatae per Filiū. Et tradidit Deus testimonia Euangelij omnibus tēporibus inde usq; à prima reuelatione. Hæc omnia cōsideranda sunt, quādo ministerij sui dignitatem Paulus commemorat.

Gaudeo in afflictionibus meis,
& impleo quod deest affli-
ctionibus Christi &c.

Offenditur autem ratio specie Crucis & in do-
centibus & in tota Ecclesia. Ideo confirmat Eccle-
siam mentione afflictionum suarum, quasi dicat, eti-
amsi sumus subiecti cruci nos Apostoli et Eccle-
sia, tamen scitote ueram uocem esse Euangelij, & ue-
re sic colligi Ecclesiam, et eam usque ad nouissimum iu-
dicium inter imperia mundi sub cruce futuram esse, et
tamen mirabiliter per filium Dei conseruari, iuxta
dicta: Qui uult me sequi tollat crucem suam et se-
quatur me. Item: Omnes qui pie uiuere uolent in Chri-
sto, persecutionem patientur. Quod autem dicit se im-
plere ea quae desunt afflictionibus Christi, intellige-
tur non de merito, sed de similitudine afflictionum,
quas ut membrum corporis Christi sustinet. Et quia
in ministerio sustinet, dicit: Pro corpore eius, ui-
delicet, ut ministerium meum seruiat Ecclesiae in do-
cedo, non quod afflictiones Apostolorum sint meritum re-
conciliationis. Sed manet communis regula de simili-
tudine afflictionum: oportet nos fieri conformes ima-
ginis Filij Dei. Et propter quas causas Filius mis-
sus sit, ut fieret uictima, sciendum est, et distinguenda
missio Filij a reliqua Ecclesia, quae propter alias
causas cruci subiecta est. Solius Christi passio est
ἀντιγον, afflictiones uero Ecclesiae sunt aut τιμω-
ρίαι, aut ἀνομασίαι, aut μαρτύρια.

Admonitio est de uitandis corruptelis do-
ctrinae, ac primū in signibus uocabulis u-
sus est, συμβιβασθέντες ἐν ἀγᾶπῃ, hoc
est, concinnè coagmentati, coniuncti, copulati in
dilectione.

Ἐληροφρογία significat certitudinem, supra
ad Romanos: Vnusquisq; certus sit in sua senten-
tia. Ita hic dicit, se confirmare Ecclesiam, ut cer-
tudo fidei in ipsis sit firmior, quia fides non est
imaginatio ambigua similis Academicarum di-
sputationum, sed oportet esse certitudinem, sicut
dicitur in definitione: Fides est ἔλεγχος & non ap-
parentium. & notum est dictum: Qui non credit
in Filium, iam iudicatus est. Item, Qui non credit
in Filium manet ira Dei super eum. Non est autē
dubitatio Fides, etiamsi initia fidei languida sunt
crescere tamen firmitatem oportet, sicut ille pe-
tit: Credo Domine, opem fer imbecillitati meæ.

**Videte ne quis seducat uos per
Philosophiam &c.**

Antè in summa præcepit de cauendis corru-
ptelis, nunc species aliquas recenset, confusionem
Philosophiæ et Euangelij, ordinationes humanas,
fictos

fictos entusiasmos, & euentia miracula. Ad hos modos ferè reduci possunt omnes imposturæ, ut Samosatenus, Mahometus, Seruetus, Thammerus quæerunt philosophicam concinnitatem, disputant λόγος esse tantum uocem euanescentem. Pelagius & Monachi dicunt hominem posse satisfacere Legi Dei, & disciplinam esse perfectam impletionem legis & iusticiam, qua homo coram Deo iustus sit, hoc est, placens Deo & acceptus ad uitam æternam. Hæc sunt philosophica, & quæritur concinnitas.

Secundus modus imposturarum est sine eruditione, uidelicet, externorum rituum et gestuum falsa accommodatio, qui tamen primum inde orti sunt, quòd necesse est in uita esse ordinem & aliqua exercitia. His postea affingunt homines opinionem iusticiæ & meriti, & cultus Dei, sicut nomen superstitionis inde factum est, q, sit immodica assiduitas in ritibus. Huc pertinet ritus Monachorum, discrimina ciborum, cælibatus, Βασιλογίαι, & omnium gentium superstitiones. Vnde & multa idola orta & cumulata sunt, milites quæerunt numen certo ritu, quod opituletur in bello, mulieres quæerunt auxilium in partu, ideo statuæ Iunonis, Annæ &c. exogitatae sunt.

In his duobus modis peccat ratio, quærens Deum sine uerbo, aut intus disputando, aut foris

malè accōmodando gestus & opera.

Tertius modus est aut impudenter simulata
 vanitas aut Diabolica illusio. Multi enim falso ia
 etitant entusiasmos, ut Anabapiste plurimi his
 mendacijs se uenditant, aut sunt præstigiæ Dia-
 bolicæ, ut multa falsa miracula à Diabolis fiunt,
 & sæpe spectra sese oculis hominū offerunt. Est
 autem hoc loco uocabulum συλαγωγῶν, quod
 significat captiuum abducere tanquam prædam,
 Nam σκῦλα significant spolia, inde est σῦλα
 una litera detruta. iubet igitur cauere ne deci-
 piamur illis modis, de quibus nos monet, & simul
 significat deceptos & semel irretitos uelut capti-
 uos teneri, nec facile liberari, sicut alibi inquit à
 Diabolo mentes impiorū captiuas teneri. De pri-
 mo autem modo sciant iuniores non damnari ue-
 ram philosophiam manentē intra suas metas, sed
 damnari confusionē doctrinarum, cum philoso-
 phia docetur pro Euangelio, quod est reuelatum
 & est extra captū humanum, seu cum Euangeliū
 transformatur in philosophiam, ut crasse faciunt
 Pelagiani et Monachi, qui finxerūt homines pos-
 se Legi Dei satisfacere, & hanc qualemcunq; dis-
 ciplinam esse perfectam impletionē legis, & me-
 reri remissionē peccatorum, et esse iusticiam qua
 homo sit iustus corā Deo, placens Deo & accē-
 ptus ad uitam eternam. Hæc falso extruūtur ex
 phi

philosophia, quæ nō loquitur de æterna iusticia, de
 æterna uita, nec de remissione peccatorū, sed de
 rectione locomotiuæ in externis gestibus. Neces-
 se igitur est scire discrimina doctrinarū, ac regu-
 la tenenda est 1. Timoth. 4. Omnis creatura Dei
 bona est, & nihil reijciendū quod cum gratiarum
 actione sumitur, Sanctificatur enim per uerbum
 Dei & precationem. Esse autem noticias natu-
 rales quasdam ueras in creatione mentibus ho-
 minum insitas, quæ sunt normæ ueritatis & cer-
 titudinis, ut numerorum, ordinis, figurarum,
 legum naturalium de moribus, & physica prin-
 cipia, ex quibus extruuntur multæ artes, mani-
 festum est. & quidem Paulus nominat leges na-
 turales ueritatem Dei, et ait legem scriptam esse
 in cordibus. Et manifestum est à Deo probari nu-
 merationem, scriptionem, lectionem, architecto-
 nicam, artem medicam. Et de architecto dici-
 tur Exodi. 31. Deus impleuit eum hac sapientia.
 & anni rationem eruditam Deus & instituit,
 & ostendit, & numerare Deus iubet. Lin-
 guas esse donum Spiritus sancti historia Aposto-
 lorum ostendit. Et de arte medica dicitur Siraci-
 de 38. Deus dedit hominibus scientiam, ut glorifi-
 cetur in mirabilibus suis, hoc est, ut singularis ef-
 ficacia in singulis remedijs sit testimoniū de pro-
 uidentia Dei, q̄ ad usus hoīm res conditæ sint.

Agnoscamus igitur artes extractas ex noticijs, quæ in creatione hominum mentibus insitæ sunt, esse res bonas & DEI dona, & quidem sciamus esse commonefactiones & testimonia de Deo, quia ostendunt Deum esse sapientem: & quidem lex naturæ testatur esse Deum, & docet qualis sit, discernit eum à malis naturis, & testatur vindicem esse. Ideo dulcissimè inquit Plato: Gratiam de Deo famam in artibus sparsam esse. Et Salomon inquit. Vt oculus uideat et auris audiat, Deus facit utrumq; hoc est, Lumen in oculis & in mente creatura Dei est, & multo magis excellens lumen in excellentibus artificibus.

Primum ergo, cogitantes de artibus, fontem sapientiæ Deum agnoscamus & celebremus. Deinde artibus, quia totam uitam corporalem regunt, utamur sicut iussit, & pro eis gratias Deo agamus. Si qui uituperant artes furiosi sunt, & nocent hominum uitæ, & Deum autorem contumelia afficiunt. Nomino autem philosophiam seu artes, noticias principiorum & demonstrationes, non quælibet somnia aut sophisticas præstigijs & corruptelas, quales multi sparserunt, ut Epicurei, Stoici, Pyrrhonij, Cynici & alij. Deinde hoc quoq; sciendum est, artes ex luce naturali ortas habere suas metas, & iudicare de his de quibus mentes humanæ conuinci possunt, iuxta regi-

θηρια

τῆς γὰρ. Sed præter artes ex luce naturali ortas, Deus singularibus testimonijs Euangelium reuelavit, de sua essentia et uoluntate, ac nominatim de Filio et de promissione gratiæ, sicut 1. Corin. 1. dicitur: Cum mundus nõ nosset Deũ in sapientia per sapientiã, placuit Deo per stultam prædicationem saluos facere credentes. Ideo de essentia & uoluntate Dei statuendum est iuxta Euangelium, non iuxta philosophiam.

Hoc discrimen doctrinarum intelligi necesse est, & suus cuiq; locus tribuendus est, & huius discriminis confusionem damnat Paulus, non uituperat ueras noticias, quæ sunt lumen à D E O conditum si rectè accommodentur.

Secundus modus imposturarum facilius intelligi potest, quia circa externos gestus uersatur, qui incurrunt in oculos, ut cum in deserto Moses diutius abesset à conspectu populi, concurrunt multitudo, & postulat institui certum cultum. Aaron igitur Aegyptio more uitulum collocat. Ibi sacrificant, & populus canit hymnos distributus in choros. Ita omnes homines sine luce uerbi Dei fingunt sibi numina & externos gestus. Ethnici in periculis belli collocabant statuam Martis, & addebant ritus, ut Saliorum carmina. Mulieres propter pericula partus collocabant statuam iunonis, & ibi certo modo sacrifici-

cabant. Hæc ita cumulata sunt, ut accesserint mō-
 strationes hominum, quia homines sese punire in-
 signi modo uolebant ut ueniam mererentur.

Hæc opinio meriti apud omnes Gentes auxit
 ceremonias, & accesserunt Diaboli ludibria,
 quæ impulerunt homines ad manifestas turpitu-
 dines, accesserunt & ludi ingeniorum. In Argis
 ut essent fœlicia coniugia, colebatur statua Iuno-
 nis tenens in sinistra pomam punicum, ad quod
 aduolabat Cuculus, & finxerant Iouem specie
 Cuculi primum ad Iunonem uenisse. Ita horribi-
 liter humanae mentes sine luce uerbi & sine Spi-
 ritu sancto contumelijs uerum Deum afficiunt:
 sicut in Ecclesia ritus deprauati sunt, & cumu-
 lati gestus Ethnico more: collocatae sunt statuæ,
 & ad eas uelut ad numina concursum est: cir-
 cumgestatur panis & adoratur, cū nibi possit
 habere rationem Sacramenti extra institutum
 usum: elegerūt singularia opera Eremitæ et Mo-
 nachi, & finxerunt ea mereri remissionē peccato-
 rum & uitam eternā, sicut & alij homines finxe-
 runt cultus Dei & merita esse sua ieiunia et alia
 exercitia: sacrificuli uendūt suas missas tanquam
 præcipuum meritum. Aduersus has contumelias
 Dei necesse est tenere doctrinam, qua Deus præ-
 cipit ueros cultus & damnat falsos. Regule igi-
 tur teneantur, Ezechiel. 20. In præceptis meis
 ambulas

ambulate, nō in praeceptis patrū uestrorū. Item: Hic est Filius meus dilectus, hunc audite. Iohan. 14. Si quis diligit me, sermonē meum seruabit, & Pater meus diliget eū, & ueniemus ad eū, et mansionem apud eum faciemus. Matt. 15. Frustra me colunt mandatis hominum.

Hic repetatur tota doctrina de ueris cultibus & de damnatis. Cultus Dei est opus mandatum à Deo factū in agnitione Domini nostri Iesu Christi et fide, cuius operis principalis finis est, ut per ipsam honos Deo tribuatur, hoc est, ut ostendas uerū Deum uelle coli hoc modo, et hunc esse uerum Deum, & iudicē quem sic colis et nō aliter, et testeris huic uero Deo hāc obedientiā deberi, ut castitas Ioseph est cultus, quia est opus à Deo mandatū, et sit praelucēte agnitione Mediatoris, & fide promissae misericordiae, & hoc opere tribuit honorē Deo, id est, ostendit uerū Deum sic uelle coli, & hūc esse uerum Deum quē sic colit, eiq; deberi hanc obedientiam testatur.

Hae definitio sumpta est ex dictis quae iam recitauit: In praeceptis meis ambulate. Item: Hunc audite. Ex hac definitione cultus Dei manifestū est opera nō mandata à Deo nō esse cultus Dei siue sint mādata in humanis traditionibus, siue sint electa privato arbitrio. Nominat autē hic Elementa mundi nō ut physici loquuntur, sed uocabulū sū

gnificat ordinatiōem à sōix &, quod est series, & intelligit ordinationes mundanas, ritus distinctos, qualibus in hoc mundo, hoc est, in hac uita corporali utimur, uidelicet, gradus personarū, ordinem in cibo, uestitu, diebus aut similibus.

Tertium genus imposturarum est, ficticij entusiasmī, qui aut sunt prorsus simulati et ementiti, ut Anabaptistici pleriq; & Stencfeldiani: aut sunt illusiones Diabolicæ, ut fuerunt multorum fanaticorum hominum, Pepusianorum & aliorum furores. Fingit Stencfeldius Deum sese communicare sine medio, id est, sine uerbi diuini cogitatione. Ita astutè Diabolus abducit homines à uerbo patefacto diuinis testimonijs, ut postea ludant homines fingendis opinionibus, cultibus, idolis & confusione operum, sicut apud Ethnicos accidit, & relicto uerbo diuino prorsus nihil est fides, quæ est apprehensio Dei cogitatione scripti uerbi, sicut Paulus inquit: Fides ex auditu est, auditus ex uerbo Dei. In conuersione dolor oriatur cogitatione uerbi quod arguit peccatum. Rursus etiam in consolatione mens intueatur promissiones diuinas, cumq; cor sustentatur cogitatione uerbi, uera fides accenditur. Sic Filius Dei efficax est, dans nobis de suo Spiritu, nec imaginandum est fidem prius esse in corde, et postea primū accedere cogitationem doctrinæ,

doctrinae, quæ sit exercitium externi hominis seu testimonium de luce interiore, sicut loquitur Stencfeldius. Hæc necesse est diligenter considerari, ne quærantur illuminationes seu entusiasmi sine uerbo Dei.

In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter &c.

Vocabulum corporaliter significat propriè idè hoc loco, quod usitatè dicimus personaliter, & est oppositum in habitationi separabili, ut habitat Deus in beatis uel in sanctis in hac uita, sed ita, ut sit ibi efficax, & sit separabilis diuinitas. Considerentur autem hic quatuor modi præsentia Dei.

Primus modus est præsentia uniuersalis, quo ad conseruationem substantiarum, qua sic adest Deus omnibus creaturis bonis et malis, ut conseruet earum substantias tantisper donec conseruantur, ut Pharao destruitur cum Deus desinit seruare substantiam. De hac uniuersali præsentia dicitur Hieremiæ. 23. Cælum & terram ego impleo dicit Dominus. Et notus sit uersus: Enter, præsender, Deus hic & ubiq; potenter.

Secundus modus præsentia nominatur specialis, qua Deus est in beatis, scilicet ita, ut non

tantum seruet substantias, sed sese eis commu-
nicet, complens eos sua luce & iusticia, et uiuifi-
cans eos uita aeterna, & immediatè conspicitur
ab eis. Et quanquàm non discedit ab eis, tamen
adest tantū societate, & re ipsa est separabilis.
De hoc modo dicitur: Deus erit omnia in omni-
bus, scilicet in beatis, id est, sic erit in eis ut non
sit simul peccatum.

Tertius modus nominatur etiam specialis præs-
sentia, qua est in sanctis in hac uita, ut in Dauide,
qua præsentiā non tantū seruat Deus eorum sub-
stantias, sed etiam efficit in eis nouam lucem &
motus sibi placentes, & conspicitur immediatè,
ut in uita aeterna, sed per uerbum. Hanc præsenti-
am separabilem esse manifestum est, iuxta di-
ctum de redeuntibus ad uomitum.

Quartus modus præsentiæ est unio persona-
lis, qua scilicet secunda persona diuinitatis assum-
psit humanam naturam non solū inseparabili-
ter, sed ita, ut sit unum cōpletum ἕν ἰσὸν ἁπλοῦς
illa natura humana, & λόγος & assumens humanā
naturam, propemodū ut in cæteris hominibus co-
pulatione animæ & corporis sit unum completū
ἕν ὅλον. Hac similitudine usi sunt Athana-
sius, Cyrillus et Iustinus. Sic igitur intelligatur hoc
loco inhabitare corporaliter, ut discernatur unio
personalis ab alijs modis præsentiæ, sicut di-
citur:

citur:

citur: Verbum caro factum est. Quod autē inquit: Plenitudo diuinitatis, discernit & hoc modo Filium ab alijs beatis. In alijs sunt particularia dona, ut in Mose, Helia. In Filio autem est substantia, quæ est secunda persona diuinitatis, immēsa perfectionis, omnipotens & efficax in alijs, ut Iohannes inquit: Ex plenitudine eius omnes accepimus. Non igitur sic intelligatur textus, quod tres persone assumpserint humanā naturam, sed plenitudo sit opposita particularibus donis sanctorum.

In ipso estis consummati &c.

Est & hæc sententia ualde insignis, & opponitur imaginationi quærenti iusticiam operibus seu legis diuinæ seu traditionū, de qua imaginatiōe antè dixi: Nemo uos decipiat per traditiōes humanas. Estq; antithesis: Lege Dei nō estis consummati, id est, nec iusti coram Deo, nec liberati à morte, nec donati uita æterna, multo minus traditionibus humanis. Sed in Christo cōsummati estis, scilicet, et imputatiōe et restitutiōe iusticiæ & uitæ æternæ, quæ in nobis inchoatur in hac uita, et exhibetur cōsummata post hanc uitā. Fit autē hæc effectio propter Mediatorē et per eū, Ideo noīatim dicitur: In Christo cōsummati estis, nō meritis ullius creaturæ, nō lege, non traditiōibus. Ac semper ī hac uita tenēda est hæc cōsolatio,

quod quanquam sunt in nobis adhuc reliquiae peccati & magnae sordes, tamen in Christo simus consummati imputatione, ut Rom. 5. dicitur: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Rom. 6. Non estis sub lege sed sub gratia. Rom. 8. Nulla nunc est condemnatio his qui in Christo Iesu ambulant. Item. Quis accusabit electos? Deus est qui iustificat. Item, Christus est in dextra Patris interpellans pro nobis. Iob. 13. Etiam si occidet me sperabo in eum. Veruntamen vias meas ego arguam, & ipse est mihi ad salutem. Quia non intrabit coram eo omnis hypocrita. 1. Iohan. 5. Qui habet Filium habet vitam. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret &c. & Iohan. 17. Sit dilectio in eis qua me diligis. His amplissimis & dulcissimis consolationibus confirmemus nos in inuocatione, & adiungamus eas ad dictum: In ipso consummati estis.

In quo & circumcisi estis circumcissione non manu facta &c.

Declarat superiorem particulam, in ipso consummati estis, addita antithesi. Lege non eratis consummati, sed lex erat typus, Res exhibita est per Christum. Circumcisio significabat abiectionem corporis peccatorum & regenerationem,

has

has res iam habetis per Christum. Interpretatur ergo Circumcisionem & repetit beneficia Christi, in quibus rursus utrunq; complectitur, impu-
tationem iusticiæ & renouationem, quæ in hac
uita fit in conuersione, & duos modos complecti-
tur, mortificationem & uiuificationem. De mor-
tificatione dicit. Estis consepulti cum eo per Ba-
ptismum. De uiuificatione inquit: Estis resusci-
tati cum eo per Fidem efficacia eius. Cum autem
hæc uocabula Mortificatio & Viuificatio à uero
intellectu ad hypocrisin externorum gestuum à
Monachis & fanaticis hominibus detorta sint,
consideretur uera significatio.

Vt autem in omnibus artibus & negocijs di-
ligentia necessaria est, uidere ubi res eadem plu-
ribus appellationibus efferatur, & rectè coniu-
gere appellationes. Ita in hoc loco sciamus Pau-
lum loqui de uera conuersione ad Deum, quam
usitatè nominat Ecclesia Pœnitentiam, cuius has
partes esse dicimus, Contritionem, Fidem & no-
uam Obedientiam. Contritio hic significatur his
uerbis: Exuere corpus peccatorum, mortificari
& consepeliri cum Christo. Significantur ergo
ueri pauores & dolores, quales sunt in conuer-
sione, cum in agnitione peccatorum sentitur ira
Dei, sicut dicitur: Sicut Leo contriuit omnia ossa
mea. Quanquã enim non sunt similes in omnibus

dolorum gradus, tamen in conuersione aliquam contritionem necessariam esse nō dubium est, ut Iesaiæ. 66. dicitur: Ad quem respiciā nisi ad contritum & humiliatum spiritu, & timentē sermones meos. Et hi pauores & dolores tunc sunt, mortificari & sepeliri cum Christo, cum simul sunt initia fidei quæ facit ut doleāt corda se offendisse Deum, ut non fremant aduersus eū, sed confugiunt ad eum propter Mediatorē. Ita hīc dicit: Estis sepulti cū Christo, scilicet in hac uita, nunc iacet hæc natura in doloribus & in cruce, non regnat furoribus dubitationū et falsarū opinionum & prauarum cupiditatum, qualia mala regnant in impijs. Estq; diligenter consideranda collatio sepulturæ Christi ad præsentem uitam omnium piorum in Ecclesia. Iacet in hac uita Ecclesia sub cruce & doloribus, ut Christus in sepulchro, expectans integram nouitatem.

Quòd autem in secunda parte conuersionis usitatè ponimus Fidem, id sumitur ex locis Pauli Rom. 6. & hinc, ubi mortificationi additur uiuificatio, quæ fit fide, iuxta dictum: Iustus fide sua uiuet. Non enim manendum est in morte & æterna fuga, sed ideo cōuertimur ut uiuamus, iuxta dictum: Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Fit autem uiuificatio, sicut iam dictum est, Fide, quæ apprehendit
remissi-

remissionem peccatorum & reconciliationem. Et fit nominatim mentio fidei in doctrina conuersionis seu penitentiae, ut taxetur horribile mendacium Papistarum, qui dicunt manendum esse in dubitatione, & omnino silentio obruant hanc fidem, qua statuendum est, tibi in conuersione uerè remitti peccatum, & te uerè reputari iustum, donari Spiritu sancto & hereditate uitæ æternæ.

Attribuit autem uiuificationem nostri resurrectioni Christi, inquiens: Simul resuscitati estis per Fidem, simul uiuificauit uos cum eo. Quia Christus resuscitatus sic regnat, ut colligat æternam Ecclesiam uoce Euangelij, sit in ea efficax, uiuificet eam, det Spiritum sanctum, & mirabiliter protegat ac seruet eam inter horribiles confusiones & tenebras generis humani. Ac expresse dicit fieri hanc uiuificationem Fide: & hanc fidem esse motum diuinitus accensum significat cum ait, fidem esse efficaciam Dei, id est, qua Deus est efficax. Postea pluribus uerbis eandem sententiam de conuersione Paulus repetit: Eratis mortui, inquit, propter peccata et præpucium, id est, propter naturam immundam et ream, qualis propagata est generatiõe carnali: Talem naturam immundam & ream habentem peccatum originis, nominat præpucium.

At nunc uiuificati estis data remissione omnium peccatorum & deleto Chi-
rographo &c.

In his uerbis & imputationem iusticiae, & uiuificationem complectitur. Nam ad imputationem iusticiae pertinet id quod ait, omnia peccata remissa esse gratis. Deinde addit deletum esse Chiographum, id est, sententiam condemnationis, quae est conclusio ex lege diuina. Ideo addit Chiographum contra nos fuisse per decreta, id est, per legem. Sic discernit chiographum à lege tanquam conclusionem à precedentibus propositionibus. Nam iudicium conscientiae est integer Syllogismus practicus ex lege ductus, approbans convenientia cum lege, & condemnans contraria, & sequitur ordine diuinitus condito condemnationem dolor & uindex, qui crescit Deo iudicante & destruente naturam ream, ut in Davide iudicium conscientiae est hic Syllogismus: Mæchum & homicidam Deus abiicit in æternas pœnas. Dauid est Mæchus & homicida, & eo deterior, quia magis ingratus est D E O quam alij, cum fuisset ornatus in gentibus donis. Hinc sequitur conclusio ex Lege: Ergo Dauid est reiectus à D E O. Hæc conclusio nominatur Chiographum, id est,

id est, sententia in mente & corde, tanquam scripta lege & agnitione lapsus, ac simul imprimatur ingens dolor, qui crescit, cum accedit singularis sensus iræ Dei iudicantis & destruentis naturam ream per legem, sicut dicitur: *Aculeus mortis peccatū est, potentia peccati lex, Rom. 4. Lex iram efficit. Item. Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Et Psalmo. 37. Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Psalmo. 114. Circumdederunt me dolores mortis &c. Iob. 9. Deus cuius iræ nemo resistere potest: Hoc triste iudicium, quo Deus per Legem percutit ream naturam, hinc nominat chirographum contrarium per Legem.*

Simul & Viuificatio fit in deletionem chirographi, Quia cum remissio & imputatio accipiuntur fide, in ea cōsolatione fit uiuificatio, in qua Filius Dei uoce Euangelij efficaciter uiuificat corda, & effundit in ea Spiritum sanctum, sicut 1. Iohan. 5. dicitur: *Hæc uita in Filio eius est, qui habet Filium, habet uitam, qui non habet Filium Dei, uitam non habet. Tunc enim pro dubitatione in mente lucet assensio accipiens promissionem, & pro sensu iræ Dei & terroribus sunt in corde fiducia & leticia acquiescens in Deo propter Mediatorem, quæ leticia est uita spiritus, de qua Paulus inquit: Spiritus uiuit propter ius-*

sticiam. Sciamus igitur Paulum loqui nō de simu-
latis Enthusiasmis seu Stencfeldiana & Anaba-
ptistica toruitate, sed de uera conuersione seu
pœnitentia. Ita cum uerba Pauli ad consolatio-
nem in uera conuersione accommodantur, fiunt
perspicua. Quàm dulcis consolatio est, intueri
hanc ipsam picturam triumphi? Victor est Filius
Dei, qui contriuit caput serpentis, id est, deleuit
regnum & potentiã Diaboli, peccatum & mor-
tem æternam, scilicet, in credentibus. Hunc tan-
quam triumphantem sequitur in tota æternitate
Ecclesia liberata, & gestantur ut fiebat in trium-
phis spolia, uidelicet, chirographa nostra pen-
dentiã in cruce. Hæc iam deleta sunt credentibus
in Mediatorem, qui sanguine suo, id est, tota obe-
dientia sua deleuit chirographa legis, ut amitte-
rent ius accusandi, ut. 1. Iohan. 1. dicitur: Sanguis
Iesu Christi purificat nos ab omni peccato. Hanc
ipsam picturam sepe in inuocatione cogitemus,
ut fides accendatur & confirmetur.

Ait etiam Diabolos duci tanquam in specta-
culo, exutos principatu & potestate, scilicet, ne
perdât insidijs credentes in Filium, sicut dici-
tur: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

In fine autem addit particulam: Triumphans
per sese, id ad differentiam uictoriarum huma-
narum dicitur, Homines enim incorporalibus
prelijs

prælijs non uincūt sine auxilijs militum, At Filius Dei sine auxilio ullius creaturæ contriuit caput serpentis, hæc una persona est redemptrix, & propria potentia uincit Diabolos, tollit peccatum & mortem.

Nemo igitur uos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi &c.

Hæc conclusio antithesis est antecedentium: cum iusticia sit habere remissionem & reconciliationem propter Filium, & uiuificari per Filium ad uitã eternã, sequitur non esse iusticiam de scrimina ciborũ et dierũ et similes ritus, qui neq; peccatũ neq; mortẽ tollunt, neq; sunt res eterne. Quare nec peccata sunt taliũ rituum omissiones.

Expresse igitur hic asseueratio ponitur quæ affirmat talium rituum obseruationẽ nõ esse iusticiam, et omissiones eorũ non esse peccata. Cumq; hic totus locus maximè perspicuus sit, notissimũ esse omnibus oportet, ad cõfirmandas mētes in hac doctrina de traditionibus humanis, quæ in Ecclesijs nostris restituta est diuinitus, quòd uide licet earum obseruatio non sit iusticia, & quòd earum omisso non sit peccatum. Loquitur enim Paulus non solum de Mosaicis ceremonijs, sed in genere de omnibus, de Mosaicis & de egr.

cogitatis ab Episcopis & ab alijs hominibus, sicut dictum Christi generale est: Frustra colunt me mandatis hominum. Et infra Paulus expresse comprehendit in hac regula mandata & traditiones hominum: Nemo uos iudicet, id est, condemnet propter omissionem talium rituum, in cibis, potu, parte diei festi, id est, uicibus festorum, ut Græca phrasis ἐν μέγρι significat per uices.

Repetatur autem hinc tota doctrina de traditionibus humanis, sicut in nostris Ecclesijs traditur, & cogitetur qualis cæcitas fuerit, cum observatio humanarum traditionum putaretur esse cultus Dei, & quidem necessarius, & qualis carnificina fuerit opinio, quæ fugebat omissiones talium rituum esse peccata. Extant libri Gersonis, in quibus quærentur ἐπιεικειαι, & disputatur, alias traditiones factas esse necessitatis causa, alias factas ornatus causa, quærentur & alia σοφὰ πρᾶξιαι, ut mitigetur falsa exacerbatio. Sed ut Alexander Gordium nodum non longa extricatione soluit, sed subito dissecuit gladio, ita hæc Pauli regula breuissimè omnia illa uincula conscientiarum tollit, cum affirmat, nec observationem iusticiam esse, nec omissionem peccatum.

Dicit autem de ceremonijs Mosaicis, tunc eas
fuisse

fuisse umbras, cum institutæ sunt non humana auctoritate, sed diuina, id est, nequaquam fuisse merita remissionis peccatorum, neq; iusticiam coram Deo, sed fuisse signa commonescientia homines de promissione & de uenturo Messia. Corpus autem esse Christum, id est, rem significatam & exhibitam, uidelicet, solam obedientiam Christi esse meritum remissionis peccatorum & æternæ iusticiæ & uitæ, & λύτρον, ac propiciationem pro nobis, & ipsum Mediatorem esse datorem iusticiæ & uitæ æternæ, sicut in Daniele dicitur: Adducetur iusticia sempiterna & c. Hæc antithesis in Epistola ad Hebræos copiose exprimitur de discrimine sacerdotij Aaron & sacerdotij Christi, ubi dicitur, Sacrificia Aaron tantum fuisse ἀντίτυπα sacrificij Christi, sicut hic Paulus umbras nominat. Sed de sacrificio Christi inquit: Qua uoluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.

Hanc doctrinam de intellectu sacrificiorum sæpe repetunt ipsi Prophætæ, ac docent unam & eandem esse doctrinam de iustificatione omnibus temporibus, Patres ante Moysen & post eum sola fide, id est, fiducia Mediatoris coram Deo iustos fuisse, id est, accepisse remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, uiuificationem per Spiritum sanctum & uitam æternam, sicut

Acto. 15. dicitur: Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, sicut & illi, &c.

Quid igitur erant tot sacrificia & tot ceremonie? Respondeo, Erant distinctio illius politie ab Ethnicis. Quia uoluit Deus immensa bonitate notā esse & conspici politian, in qua Christus nasceretur, doceret, ederet testimonia sue doctrine, fieret uictima, resurgeret ex morte, et ostenderet resurrectionis testimonia, & in qua conseruaretur doctrina missis Prophetis. Ac ut magis cōspici hæc politia posset, inter clarissima Imperia Babylonium & Aegyptium interiecta fuit. Et quia hanc politian uoluit esse doctrine scholam & sedem Ecclesie, instituit ipse sua uoce exercitia externa, quæ essent picturae doctrine, ut populum cōmonefacerent de promissione & de Mediatore, & mouerent multos Ethnicos ad querendam causam distinctionis politie. Sæpe igitur Prophete taxant pharisaicam opinionem, qui falso fingeant, hos ritus esse meritum & iusticiam, sicut psalmus inquit: Holocaustis non delectaberis. Et Iesaias: Offerens ouem, similis est strangulanti canem.

Nemo uos decipiat simulata
humilitate, &c.

Graci

Græci nominant Βαυκοταυουγυους, qui simulant modestiam seu humilitatem, & hac simulatione struunt insidias, ut existimentur sibi non quærere opes, gloriam aut uoluptates, sed ueluti semidei esse. Hæc est ars impostorū in Ecclesia. Ut aut simulatio à uirtute discerni possit, nota sit definitio uirtutis, quæ nominatur ταπεινοφροσυνη, pro qua usitatum nomen est Humilitas. Ut autem res fiat illustrior antithesi, & cum uitia notiora sint, prius Superbia definiatur, in qua multa uitia concurrunt, ut sunt multe appellationes, quæ non tantum unicam uirtutem, aut unicum uitium significant. Superbia est non cernentem propriam infirmitatem, aut peccata, & sibi magnas uirtutes falso tribuentem, securum esse, nec Deum, nec pœnas timere, & fiducia propriarum uirtutum erumpere extra metas uocationis, mouere seu appetere maiora uocatione, & despicere alios quasi non sint organa utilia, & irasci Deo & hominibus cum impediantur quo minus regnent. Ita initium Superbiæ est mendacium, quod sequitur securitas, deinde audacia erumpendi extra uocationem: ut Alexander somniet se Deum esse, deinde securus extra uocationem erumpit, cõtemnit leges, interficit uiros iustos. Samosatenus arrogans sibi magnam sapietiam, negligens uerbum Dei, nec metuens Deum, et confidens

applausu populi extra metas effertur, & serit opinionem gratam multitudini, & munit se facti one ut aduersantes opprimat et regnum teneat, etiamsi foris simulat, se non de sua antecellentia dimicare, sed de ueritate alios in speciem sibi praefrens, non uult uideri appetere uoluptatem aut potentiam.

Iam contraria exempla uerae humilitatis aspiciantur, ex quibus postea definitio constituatur. Nam in uera Humilitate simul sunt ueritas recte iudicans de infirmitate. Deinde timor Dei & dolor propter infirmitatem & peccatum, deinde cura manendi intra uocationem, Vt in Ionatha est ueritas recte iudicans, nullum hominem esse parem regno, & à Deo regem constitui praesertim in Israël. Deinde sunt in eo timor Dei & cura manendi intra metas uocationis, seruit suo loco & Deo gratias agit, quod eum gloriosis testimonijs ornat, subijcit se Dauidi, cui uidet Deum tradidisse regnum, & non irascitur Deo, etiam cum postea in calamitatem incidit. Sit igitur haec definitio: Vera Humilitas est uere iudicantem de propria infirmitate timere Deum, & dolore affici propter propriam infirmitatem & peccatum, & est in uocatione Deo seruire fide & fiducia auxiliij diuini, non despicere alios, sed iudicare Deum alios quoque utilia organa facere, &
cis

eis propter Deū honorem tribuere, & nō irasci Deo aut hominibus, cū diuinitus pœna ueniunt. Hæc definitio sumitur ex his dictis Prouerb. 16. Abominatio corā D E O omne cor superbum, Rom. 12. Nō alta expetētes, sed humilibus cōtenti. Philip. 2. In humilitate mutua sentite, alios antecellere, sicut Christus cū esset in forma Dei, non rapuit æqualitatem Dei, id est, non est usus extra uocationem. Et Petrus inquit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Syracides: Quo maior es, cō magis te humilia, & inuenies gratiam coram Domino.

Cum igitur Paulus inquit: Nemo uos decipiat uolens in humilitate, intelligatur simulans humilitatem, quasi dicat, uolens decipere in humilitate. Talis est hominum natura, ὁμοίου ὁμοίω φίλον, pares uel inferiores amantur, & nemini gratum est se contemni. iustum est enim suum cuiq; locum proportionē Geometrica tribuere. Cum igitur aliquis effert se supra alios, et præsertim cum premit alios, ut quasi eos de loco ipsorum detrudat, uenit in odium. Deniq; omnes homines capiuntur assentatione. Grati sunt igitur qui se subiiciunt alijs, & arte adulantur, & inflectunt se ad affectus eorum, quibus placere uolunt. Ideo faciliè capiuntur homines illa histriónica, quæ arte imitatur gestus humiliores, admi

rationem etiam parit, uideri non appetere uoluptates & opes, quia si essent sine auaritia et sine stulta ambitione, haberent excellentem uirtutē. Experientia autem ostēdit has pręstigiās, id est, gestus humilitatis seu modestiæ, usitatas esse impostoribus, qui praua dogmata spargunt. Tales hypocritæ in genere humano semper fuerunt, sunt & erunt. Ideo et in Mattheo traditur admonitio de cauendis talibus insidiatoribus qui speciem habent ouium & intus sunt lupi rapaces.

Nominat Paulus et aliud genus pręstigiarum, falso iactare afflatus, entusiasmos, illuminationes, colloquia cum angelis, & uidere species diuinitus oblatas. Sicut in urbe Monasteriensi Anabaptistæ falso iactarunt afflatus, & singulæ ætates habent exempla. Expressè autem accusat eos mendacię Paulus, dicit eos superbe incedere in his quæ non uiderunt. Græca phrasis est, quæ superbo incessu elationem animi significat, ut ὑδίσβατε ὑψὺ πρὸς Σμερδί & ὀνοματίζεσθε, id est, superbiens nomine Smerdis. Dicit igitur superbe eos iactare uanissima mendacia, quod habeant afflatus aut angelorum colloquia quæ non habent, Sicut multos noui qui falso gloriabantur, se habere afflatus, quos non habebant.

Vocabulum θεουσκεία, est superstitio, quasi παρασκευασμένη, id est, exercere prodigiosum aliquid

quid

quid, quasi τὲρατα ἄσκειν. Swidas ait esse, quasi θεὸν λέγειν, Deum uidere. Quia uero populus miratur tales, quos putat Deo familiares esse, & superstitiosi similem familiaritatem expetunt, ideo multi eis assentiuntur, siue uera siue falsa docentibus. Sæpe igitur admonitio de his prestigijs enthusiastarum cauendis repetita est, & Paulus hic inquit, frustra inflatos esse persuasione suæ carnis, id est, falsa imaginatione de sua sapientia & iusticia tumere, id est, superbire & sese efferre supra alios, et fingere se Prophetarum similes esse. Ut autem insidiæ caueri possint, necesse est normam aliquam esse. Difficilis enim diiudicatio est, ut etiam in ueteri uersu dicitur: Χαλεπὸν νόον ἰδμεναι ἀνδρός. Item. Κιβήλου δ' ἀνδρός γυνῶναι χαλεπώτερον οὐδέν.

Expressa est autem norma uniuersaliter in his dictis: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Item: Nemo potest aliud Fundamentum ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Hanc normam & hic monstrat, cum ait: Non tenens caput, scilicet, Christum, qui per uocem Euangelij est efficax, & Ecclesiam colligit non per alias doctrinas. Ideo hic disertè addit de capite, ut collectio Ecclesie intelligatur, &

comprehēdatur Euangeliū seu doctrinæ integri-
 tas. Ait ergo, Ex quo capite Christo totū corpus,
 id est, Ecclesia, per iuncturas & compages coag-
 mētatur et crescit, et fit tale corpus, in quo Deus
 erit omnia in omnibus in æternitate. Intelligit au-
 tem iuncturas & compages consensum in eadem
 uera doctrina, quo consensu membra Ecclesiæ
 copulantur, & Filius Dei efficax est, colligens
 Ecclesiam una & eadem uoce Euangelij, sicut in-
 quit: Ego sum uitis, uos palmites. Estq; antithesis
 opposita enthusiastis, de quibus prius dixit, quasi
 dicat, illi gloriantur se esse domicilia Dei & ha-
 bere entusiasmos, sed palam mentiuntur, quia
 nec membra sunt Ecclesiæ, nec habitat Deus in
 impostoribus qui fingunt genus doctrinæ contra-
 rium Euangelio, Sed habitat Deus in his, qui sunt
 adiuncti capiti Christo, et sunt membra Ecclesiæ
 retinentia eandem uocem Euangelij incorru-
 ptam. Gloriantur Anabaptistæ se habere miran-
 dos entusiasmos, sed certum est eos esse imposito-
 res, Quia manifestè discedunt à capite Christo,
 & à doctrina Euangelij, & sunt hostes ueræ Ec-
 clesiæ et doctrinæ ueræ, fingunt se esse iustos suis
 euentitis afflatibus & sua patientia, & pacien-
 tiam nominant desertionem politici ordinis & c.
 Qui tantos errores retinent pugnantes cum E-
 uangelio, nec templa Dei sunt, nec membra Ec-
 clesiæ,

clesiæ, sed sunt extra compages illas de quibus
hic Paulus loquitur.

Si mortui estis cum Christo
ab elementis mundi, cur tan-
quam uiuentes in mundo decre-
ta facitis: Non attingas, Non
contrectes, non gu-
stes, &c.

Initiò monēdi sunt iuniores, hæc uerba: Non
atingas, non gustes, nō contrectes dici $\mu\mu\mu\tau\iota\mu$
 $\kappa\omega\varsigma$, seu recitatiuè non dispositiuè, id est, Paulus
recitat exempla alienarū legum, quales hypocri-
tæ condunt: Non gustes carnem die sexto &c.
Non inseruit hæc uerba tanquam leges ferens,
ut Monachi insulse interpretati sunt, non intelli-
gentes figuram dictionis. Addit autem, Quæ sunt
omnia interitura ipso usu, ut uestis, pocula atte-
runtur usu assiduo, cibi usu consumuntur. Vult
enim dicere, nouitas in renatis est æterna lux &
uita per Filium uoce Euangelij & Spiritu sancto
accensa, & sunt res æternæ Filius Dei et Spiritus
sanctus. Non est igitur Euangelij iusticia res seu
obseruatio rei quæ usu consumitur, ut ciborū aut
uestium. Ac uocabulum $\alpha\omega\chi\epsilon\mu\sigma\iota\varsigma$ non signifi-
cat abusum quod est $\kappa\alpha\tau\alpha\chi\epsilon\mu\sigma\iota\varsigma$, sed $\alpha\omega\chi\epsilon\mu$

σῆς significat assiduitatem usus seu sufficientiam
in usu, ut innumerabilia exempla ostendunt, ut
apud Platonem 2. πολιτεῖον, Ἀποχρηῖ, id est,
sufficit dicere Deum tantum bonorum auto-
rem esse.

Secundum mandata & doctri-
nas hominum, quæ habent spe-
ciem sapientiæ in super-
stitione &c.

Vt sciri possit in his Pauli concionibus reijci
non solum ceremonias Mosaicas, sed etiam alios
ritus qui instituuntur humana autoritate, siue ab
Episcopis, siue à Monachis, siue ab alijs homini-
bus, Ideo expresse hic nominat & reijcit præce-
pta & doctrinas hominũ & superstitiones, quas
nominat ἑθελοθησκευίαις, id est, ritus sine man-
dato Dei excogitatos, seu exercitia uel corporis
uexationes non mandatas à Deo, ut aliqui in mediã
tridui aut plurium dierum sibi indixerunt. Ere-
mitæ abdiderunt se in solitudinem etiam familijs
relictis. Monachi instituerunt cælibatũ & alios
ritus. Semper in mũdo usitatũ fuit fingere cultus,
& inde processit audacia hominum, ut etiam no-
ua numina fingerent excogitatis varijs cultibus,
ut Milites finxerunt Martem, Mulieres Iuno-
nem, Venerem & alia idola. Alligat autem nos

DEUS

Deus in primo præcepto Decalogi ad unum uerum Deum, qui se patefecit hoc ipso uerbo quod tradidit per Prophetas & per Filium, & sæpissime damnat omnes alias inuocationes, ut cum inquit: Non habebis Deos alienos. Item, Dominus Deum tuum adorabis & illi soli seruias. Et Iesai. 44. Hæc dicit Dominus rex Israël: Præter me nõ est Deus. Ac uult nos in inuocatione hunc uerum Deum alloqui, & segregare nostram inuocationem ab aliarum gentium inuocationibus. Dicitur & expresse de cultibus Iesai. 29. Frustra conlunt me mandatis hominum. Et Ezechiel. 20. In præceptis Patrum uestrorum nolite incedere, in præceptis meis ambulate, et sciatis, quòd ego sim Dominus Deus uester. Et in numeris 15. Non sequantur cogitationes suas & oculos meretricios, id est, respiciẽtes ad uaria numina, sed memores præceptorũ Domini faciant ea, sintq; sancti Deo suo, Ego Dominus Deus uester qui eduxi uos de terra Aegypti. Hæc illustria & expressa testimonia omnibus notissima sint, ut sciamus opera non mandata à Deo non esse cultus Dei, & sit nota definitio, uidelicet: Cultus Dei est opus à Deo mandatum, factum in fide, cuius finis principalis est, ut Deo hunc honorem tribuamus, id est, ut hac obedientia testemur hunc uerũ Deum esse quem sic colimus, & eum sic uelle colit.

Sed cur inquit Paulus traditiones humanas speciẽ habere sapientiæ humanæ seu prætextus, qui sapienter cogitati uidentur, cum in multis ritibus manifesta sit crudelitas seu turpitudine, ut in mactatione hominum, in Bacchanalibus, in stupris, multa item manifesta mendacia, ut in adoratione statuarum, aut in adoratione panis in circumgestatione quem fingunt Deum esse? Respondeo. Paulatim ad absurdiora gradus fiunt, initia autem et semina minus conspiciuntur, ut dicitur: Dato uno inconuenienti multa sequuntur. Augment enim Diaboli furores in impijs. Loquitur ergo Paulus de multis, quæ minus habent absurditatis, ut initio utilitatis causa constitutum est, ut tres essent præcipui Episcopi Romanus, Constantinopolitanus & Alexandrinus, quorum singuli haberent autoritatem conuocandi Synodos uicinorum, & ut ad eos fieret prouocatio à uicinis. Hic triumuiratus humano iure constitutus est, & tunc utilitas mouit Synodos. Postea uero Romanus Papa multa tyrannicè affinxit se iure diuino summum esse Episcoporum, habere potestatem condendi dogmata & cultus, se habere utrumq; gladium: deniq; ut fit in aulis, multi præstigiatores sine modo amplificauerunt autoritatem Pontificiam. Ante paucos annos scripserunt Monachi oblationem in Missa mereri remissionem

sionem peccatorum ex opere operato. Id cum sit
 manifestè absurdum, nunc arte tegunt & uere=
 cundius loquuntur, et tamen neruum idolatriæ re=
 tinent, & multa aliena à re de sacrificijs & de
 κακοζήλιæ Leviticorum sacrificiorum cumu=
 lant, quæ ornantur uerbis, ut de sophistica ue=
 rum est, quod dicit Euripides in Hippolyto: οἱ
 καλοὶ λόγοι λίσαν λόγοι euertunt bene ordinatas ur=
 bes. Ideo Paulus hîc inquit, habere traditiones
 speciem seu prætextum sapientiæ. Sic enim
 interpretor λόγον, quasi dicas, Verba non rem,
 ut Græci usitatè de falsis prætextibus dicunt, λό=
 γος ἔστιν ἡ ψόφος, id est, uerba sunt non
 res, aliud ostenditur, aliud agitur, ut cum Caro=
 lus Imperator simulabat se bellum inferre no=
 stris non religionis causa, λόγος ἦν ἡ ψόφος
 φάσις, uerba erant & prætextus. Sic loqui=
 tur Plutarchus in Eumene. Ut autem ad præsti=
 gias sophisticas aptè & perspicuè respondeatur,
 utrunq; necessarium est, nosse fontes earum do=
 ctrinarum, ex quibus materia disputationis sumi=
 tur, & non esse rudem Dialectices, ut cum de=
 fendunt Papistæ traditiones humanas, λόγος
 καὶ ψόφος est. Oportet in Ecclesia esse or=
 dinem ut Paulus inquit: Omnia decore & ordi=
 ne fiant in Ecclesia. Ergo pastores possunt conde=
 re decreta? Respondeo ad consequens: Possunt

boni ordinis causa consentiēte Ecclesia aliqua le-
tionum aut festorum discrimina facere, sed sine
opinione cultus & sine opinione necessitatis. Pa-
pistæ aut addunt falsas opiniones cultus & neces-
sitas. Has falsas opiniones taxare & tollere ne-
cesse est, quæ adduntur dicto Paulino contra re-
gulam, quæ uetat plus esse in conclusione quàm
in præmissis.

Species sapientiæ est & Osiandri grandilo-
quentia, quæ obruit doctrinam Euangelij de ius-
ticia fidei. Nos affirmamus in hac misera homi-
num natura magna peccata, & magnas sordes
manere, etiam si renatus accepta remissione pec-
catorum per fidem factus est templum Dei, &
uerè in eo accendit Filius nouam lucem uoce E-
uangelij, & dato Spiritu sancto, novos motus in
corde ciet. Semper igitur in hac uita tenenda est
consolatio, renatos iustos esse, id est, acceptos
Deo propter Mediatorem per misericordiam
sola fide, sicut David inquit: Non iustificabitur
in conspectu tuo omnis uiuens. Hic Osiander ma-
gnificam speciem sapientiæ opponit. Solus Deus
est iusticia. Ergo habens Deum, habet iusticiam.
Ita abducit homines à conspectu Mediatoris, &
delet fidem, id est, fiduciam misericordiæ,
& docet homines confidere in propria nouitate,
quam efficit Deus,

Est

Est igitur imaginatio Osiandri corruptela et non est λογωμαχία, sed re ipsa tollitur ex conspectu doctrinae Evangelij, et mouent homines illa θεωμοεταρηματων, Iusticia essentialis, et haec species sapiētia: Solus deus est iusticia. Quod uerum est de sua iusticia aeterna, et immensa, iudicante, seruante et damnante, de fonte et perfectione iusticiae. Et simul propositio uera est: Obedientia Filij est iusticia quae pro nobis est premium, et est constituta ut sit illa iusticia, propter quam nos iusti et accepti simus. Cum ergo additur: Habens Deum, habet iusticiam, intelligas quatenus habet, ut si dicas: Solus Deus est fortitudo. Ergo habens fortitudinem, habet Deum. Concedo quatenus habet, Vt Alexander fortiter praeliatus armatur à Deo, sed non propterea iustus est. Ita nouitas est opus Dei, et renatus habet Deum, sed ita, ut prius accipiat imputatam iusticiam propter Filium fide.

Hoc modo primum persona recipitur, postea nouitas, quam efficit Deus, est iusticia, quatenus est opus Dei. Sed simul adhuc in nobis manēt multa peccata, ideo persona propter aliud est accepta, uidelicet, propter obedientiam Mediatoris, quae etiam est iusticia, et quidem illa iusticia, propter quam nos sumus fide accepti. In hoc exemplo consideres, quantum

caliginis offundat illa species sapientiae, & quàm
difficilis sit explicatio. Sed annitendum est in bo
nis causis ut & confirmationes firmas teneamus,
& quantum fieri potest obiectiones perspicuè
soluamus, ac simus memores dicti Aristotelici:
Πολλοὶ πολλὰ λέξαντες εὖ, κακῶς λύουσι.

Non parcendo corpori &c.

Vetustas quæ fuit seuerior magis amauit disci
plinam et exercitia temperantiæ. Aliqui extēde
runt in ediam in triduum & plures dies, & læse
runt corpora. Aliqui etiam affinxerunt talia o
pera esse cultus Dei, iusticiam et satisfactionem,
& mereri remissionem culpæ & pænæ, ut ex
presse scripsit Thomas. Ita multi dupliciter pec
cauerunt, læsione corporum, & falsis opinionibi
bus. Ideo ad Timotheum Paulus grauissimam ad
monitionem tradit: Corporale exercitium ad mo
dicum utile est, pietas ad omnia utilis est. Hic ex
ercitia ut labores corporis & in ediam, quæ si
bi quisq; suo iudicio sumit, sapienter discernit à
pietate, id est, necessarijs cultibus, & loquitur
disertè. Cultus nominat opera necesseria à Deo
mandata, non sic nominat alia opera non manda
ta à Deo, sed exercitia, & uerecundè reprehē
dit: Ad modicum utilia sunt. Vult intelligi quis sit
eorum usus, & vult modum esse. Ac quia sepe in
Eccle=

Ecclesia stultæ & superstitiosæ opiniones ad illa exercitia accesserunt: multe & aliorum admonitiones de hac re leguntur. Ex Athanasio recitatur hoc dictum memoria dignum: Καλὸν ἢ ἀσκησις μετὰ ἀληθοῦς γνώσεως καὶ συμμετρίας. Bona res est exercitium corporis cum uero intellectus & congruente modo, id est, ubi est fides sine hæreticis opinionibus, Item ubi scitur hos labores nostro iudicio sumptos non esse cultus Dei, nõ iusticiam, non meritũ, et ubi hæc exercitia sunt mediocria, ibi bona res est hæc consuetudo se frenandi, quia tunc consuetudo nihil aliud est quàm concinno ordine uiuere, amat autem natura ordinem.

Erant in carcere multi sancti uiri, inter quos fuit uir nobilis Attalus, is reprehendit alium qui tantum pane, sale & aqua uictitabat, & dixit eum suo exemplo alios turbare, qui imaginarentur, sese non esse sanctos, quia non tam duriter uiuerent. Vt autem illa ætas & corpora læsit, & superstitiosas opiniones addidit exercitijs, ita nũc laxatis uisculis traditionum, multi in alteram partem peccant. Non seruamus ordinem in cibo, potu et laboribus. Tempora iusta cibi, potus, precationum, laborum, studiorum ferè nemo seruat, & si qui uellent seruare impediuntur barbaricis æconomijs. Deinde quàm multi sunt qui belluan-

tur magna parte noctis, idq; faciunt securius, quia audiunt in ediam non esse cultum Dei. Hæc consideranda sunt, & opponenda est Pauli admonitio peccatis utriusq; generis.

Præcipit Paulus honorem habere corpori, id est, præcipit ordine uiuere, & nec inedia nec belluacione corpora lædere. Sed cur nominat honorem, cum satis esset, ordine uiuere? Sic loqueretur Medicus. Sed Paulus honorem nominat, ut de causis nos commonefaciat, propter quas ordine uiuendum est. Honos enim primum & ante omnia est quiddam quod Deo debetur, id est, agnoscere & fateri, quod uerè sit Deus creator, qui se patefecit misso Filio, perfectè sapiens, uerax, beneficus, iustus, iudex, castus, curans homines, exaudiens & saluans rectè inuocantes. Et ad honorem pertinent hæc duo, uidelicet, hæc fateri & subijcere nos Deo. Postea cum hominibus honos tribuitur, semper intelligatur tribui propter aliquod diuinum, id est, quia ibi Deus aliquid per sese agit, ut honos debetur Mosi, Helia, quia certum est, eos & missos esse à Deo, & domicilia Dei esse, & lucere Deum ac agere in eis. Ita intelligatur honos tribuendus esse corpori, quia Deus infundit sese in membra nostra, in cerebro cogitatione uerbi accendit lucem, qua cum rectè agnoscimus, & inuoluit sese

Spi

Spiritus sanctus spiritibus cordis, & cerebri & neruorum, & ut flamma nostras flammās purificat & agitat, ut cum David præliatur inuadens & prosternens Goliath, mens intuetur Deum, & cogitat eum adesse in Ecclesia sua, repetit cogitatione promissiones diuinas, & petit à Deo auxilium diuinum. Ita hac cogitatione uerbi lucem accendit Filius, & Spiritus sanctus dat robur cordi, armat neruos in brachijs, Ita corpus Davidis est domicilium & organum Dei, Ideo Paulus inquit honorem tribuendum esse corpori. Cogitemus igitur, quantum mali sit hoc organon & domicilium Dei petulanter destruere uel inedia uel in gluuie. Et ualde impediri ebrietate intentionem cogitationis de Deo, & pios motus in corde, ostendit dictum Osee. 4. Scortatio, uinum & ebrietas auferunt cor. Et experientia genuit hæc dicta: Et Venus in uinis, ignis in igne furit. Et Odyss. φ. Οὐδ' ἄνθρωπος τῶν ἄνθρώπων κακὸν εὗρετ' οἷον ἄβυσσος, id est, sibi ipsi primò malum inuenit uino grauatius. Quare et Dominus inquit: Cavete ne corda uestra grauētur crapula et ebrietate. Et. 1. Petri. 4. dicitur: Sitis sobrii ad precatiōes. Simus igitur cō temperantes, ut corpus in presentia sit idoneum ad cogitationes de Deo, et ad motus diuinos, et sit durabilius & firmitus in senecta. Quod autē

inquit Paulus: Ad saturitatem carnis, iubet sic tribuere honorem corpori, ut quantum satis est tribuatur, cibi, potus, somni, exercitiorum. Excludit igitur & defectum & excessum. Nam ΠΛΟΥΣΜΟΝ non significat hic excessum uel superfluitatem, sed saturitatem conuenientem corpori, & existimo Paulum uerbo pleniori usum esse ad taxandos hypocritas, qui corpora nimium fraudabant necessarijs adminiculis, & accersebant morbos & deliria cerebri, inde fingeant sibi ostendit uaticinia et spectra, sicut multos uidimus.

CAPVT TER TIVM.

IN prioribus duobus Capitibus tradidit Paulus summam Euangelij, & admonitionem de cauendis corruptelis doctrinae, taxauit falsas opiniones de ceremonijs Mosaicis, & de traditionibus quae finguntur humana audacia in Ecclesia.

Nunc in Tertio Capite inchoat doctrinam de Bonis Operibus, in qua sunt multae dulces uirtutum descriptiones et insignia quaedam praecpta, quale

quale est hoc de assiduitate in docendo & cogitando sermone diuinitus tradito: Sermo Christi habitet in uobis abunde cum omni sapientia, & docete & commonefacite uos mutuo. Huic dulcissime admonitioni omnes obtemperemus, & sepe legamus, audiamus & cogitemus doctrinam à Deo traditam, ut nos excitemus ad agnitionem Dei, ad ueram inuocationem, & ad timorem Dei. DEVS enim efficax est cogitatione uerbi ipsius, ut & Psalmus docet: Sustinuit anima mea in uerbo eius, sperauit anima mea in Domino. Et Rom. 1. dicitur: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Suntq; damnanda delirameta Stencfeldij & similia Enthusiatarum, qui fingunt Deum sese communicare sine cogitatione uerbi diuini, & abducunt homines à ministerio Euangelij, & à lectione & cogitatione doctrine. Paulus contra inquit: Habitet inter uos, & quidem, Abunde. In utraq; uoce insignis Emphasis est. Vult sermonem diuinum ita familiariter nobis notum esse, ut sunt qui in eadem familia nobiscum habitant. Nec dubium est in illo pectore habitare Deum, quod in conuersione & fide cogitat uerbum Dei, ac uult Paulus copiose cogitare. Addit autem: Cum omni sapientia, id est, uult legi, non ut exerpamus mutilata dicta, ut ad prauas cupidita-

tes, ad assentationes, ad cauillationes & corrumpelas deiorqueantur, ut semper hæretici prestigijs iohisimatium luserunt & ludunt.

Sed redeo ad initium tertij Capitis. Argumentum præponitur concioni de bonis Operibus usitatum Paulo, ductum à causa & effectibus. Vetus natura est mortua in conuersis. Ergo non sit efficax. Viuit autem in uobis Christus, Ergo sit efficax. Et inserta est occupatio: Cur dicis, nos resuscitados esse cum Christo, cum tamen adhuc simus subiecti morti, ingentibus ærumnis, horribili lætæ cum peccato, paucibus & dubitationibus? Ad hanc obiectionem respondet: Vita uestra abscondita est cum Christo in Deo, id est, etsi inchoata est uita, tamen nondum gloria Ecclesie conspicitur, conspicienda tunc cum Dominus rursus apparebit. Nunc habemus initia quæ adhuc tecta sunt morte corporis, reliquijs peccati et magnis ærumnis, sicut inquit Rom. 8. Si Christus est in uobis, corpus mortuum est propter peccatum, Spiritus autem uita est propter iusticiam. Hic multæ insignes materiæ continentur, declaratio articulorum Symboli: Ascendit in cælos, sedet ad dextram Dei patris &c. Item quæ sint proprietates glorificati corporis. Itē quomodo dicatur: Christus est in uobis, Christus est uita uestra. Ac primum de dicto: Ascendit in cælum.

Quo

Quomodo hæc congruunt? Alibi dicitur: Filius qui est in sinu Patris. Item Iohannis 3. Filius hominis qui est in cælo. Respondeo. In Symbolo intelligatur dictum ut sonat litera, & de corpore & de corporali locatione, Ascendit, scilicet, corporali & physica locatione, in cælum, id est, in locum cælestem, ubicunq; est, quia hic non sunt fingendæ allegoriæ. Ascensio fuit uisibilis & corporalis, & semper ita scripsit tota antiquitas, Christum corporali locatione in aliquo loco esse ubicunq; uult, & ascensio corporalis facta est sursum. Ideo Paulus in hoc capite locum illum nominat sursum. At in propositione: Filius qui est in cælo, dictum intelligatur communicatione Idiomatum. λόγος & semper est in cælo, etiamsi corporali locatione corpus est in uirgine. Hæc narratio expressa est in enarratione Symboli, quæ legitur in libris Cypriani, etsi alibi inscriptio est: Enarratio Ruffini. Ascendit ad cælos, non ubi uerbum Deus antea non fuerat, quippe qui erat semper in cælo, & manebat cum Patre, sed ubi uerbum caro factum antea non sedebat, id est, ubi corpus antea non habuerat corporalem locationem. Sic Augustinus loquitur, & citantur uerba in Longobardo libro 3: distinctione 22. Non dimisit Patrem Christus, cum uenit infirmior, ubiq; totus, ubique perfectus. Deinde additur forma

Sermonis, ubiq; totus est, sed non totum. Alij con-
 cinnius locuti sunt: Propositio uera est communi-
 catione Idiomatum. Christus ubiq; est. Athanasius
 sic loquitur de incarnatione uerbi: λόγος & non
 colligatus est corpori, sed ipse corpus continet, ut
 & in eo sit, & extra omnia, & in sinu Patris,
 neq; cum sit in omnibus, sit pars aliorum, sed om-
 nia uitam, sustentationemq; ab ipso accipiunt.

Vt autem de locali ascensione naturæ huma-
 næ dictum est: Ascendit ad cælos. Ita de exaltati-
 one naturæ humanæ super omnes creaturas di-
 ctum est, Sedet ad dexteram Patris, ut hic Paulus
 inquit: Vbi est ad dexteram Dei sedens. Ait Chri-
 stum sursum esse, & quidem ad dexteram Dei, id
 est, non ut beati angeli & homines sursum sunt,
 sed exaltatus supra angelos in illa arcana luce
 Dei regnans cum Patre, & tamen corpus loca-
 li et alicubi est secundum ueri corporis modum,
 ut Augustinus inquit. Et hæc propositiones: Chri-
 stus in uobis est, Ego in eis, uenimus ad eum &
 mansionem apud eum faciemus &c. intelligantur
 communicatione Idiomatum. Et de hac præsentia
 Filij in prædicatione Euangelij & in sanctis, ne-
 cesse est Ecclesiam fideliter erudiri, ut agnosca-
 mus Dominum nostrum Iesum Christum adesse
 Ecclesiæ, et esse caput omnia in omnibus perficiens.

Iam ad Argumentum Pauli redeo, qui facit
 antithe-

antithesin mortis nostræ & resurrectionis. Dicit nos esse mortuos, scilicet, quia in uera conuersione natura carnalis incipit mori, & addit nos resuscitados esse, quia uiuificatio inchoata est, sicut & supra locutus est. Hinc ducitur argumentum ex efficiente causa, sicut Roman. 6. argumentatur. Mortua natura non sit efficax, uiua sit efficax, Estis autem uiuificati uita, luce & iusticia, quam dat Filius Dei resuscitatus ad hoc, ut uos resuscitet & uiuificet. Ergo hæc lux & iusticia sit efficax, non sit ociosa in uobis uiuificatio inchoata per Filium Dei resuscitatum.

Hæc est argumenti summa hoc loco. Intexit autem singularem consolationem, qua occurrit, tacite obiectioni: Cur dicis nos resuscitados esse, cum adhuc mortem, morbos, reliquias peccati, ingentes dolores & inenarrabilem molem calamitatum in nobis circumferamus, & uideatur nihil esse imbecillius Christo? Respondet. Viuitis & habetis initia uitæ æternæ, sicut habebat Latro pendens in cruce, Sed hæc initia adhuc tecta sunt, ut erant in latrone tecta, qui tamen sentiens consolationem, sciebat se iam habere initia uitæ æternæ, & sciebat Christum esse efficacem quanquam mundus putabat eum nihil esse. Ita hic inquit, Christum quoq; tectum esse, scilicet, quia mundus non uidet eius efficaciam, & ridet Euangelium

horribili securitate tanquam inanem fabulam. Sed gloria Filij & Ecclesie conspicietur in postremo iudicio, ubi omnes homines uidebunt Christum, & fuisse & esse efficacem, & Euangelium non fuisse inanem fabulam. Hanc consolationem intexit argumento, quo hortatur ut in inchoata mortificatione & uiuificatione perseueremus, non amittamus hos effectus Christi ruentes contra conscientiam in noua scelera. Hæc summa comprehenditur in hoc dicto: Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conscientiam.

Propter quæ uenit ira Dei super filios inobedientiæ &c.

Nota sit phrasis Hebræa, Filij inobedientiæ, id est, homines inobediētes, ut filius perditionis, id est, filius perditus, etsi emphasis est in hac phrasi, quasi dicat, proprius perditionis (ut filius est proprius patris) seu cui dominatur perditio. Filius iræ, filius reus, proprius iræ, id est, reatus. Deinde & res consideremus. Dictum Pauli hoc loco positum adiungatur alijs testimonijs de noua obedientia contra Antinomios. Firmissime enim tenenda est regula: Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conscientiam. Ac certissimum est ruentes in scelera contra conscientiam effunde-

effundere Spiritum sanctum, & iterum fieri reos
 æternæ pœnæ, nisi rursus convertantur. Quia
 expresse dicitur. 1. Corinth. 6. Ne erretis, nec scor-
 tatores, nec adulteri possidebunt regnum Dei,
 scilicet, tunc cum sunt tales, sunt rei æternæ mor-
 tis. Et Galat. 5. Talia facientes regnum Dei non
 possidebunt. Et 2. Pet. 2. Si rursus implicantur
 prioribus contaminationibus, fient eis postero-
 ra deteriora prioribus, & accidet eis iuxta Pro-
 uerbiū: Canis reuersus ad uomitum & c. Hæc
 esse uera certissimum est, & execrandi sunt An-
 timoni, qui fingunt homines esse iustos fide, eti-
 amsi perseuerent in sceleribus contra consci-
 entiam.

Ac perspicuè loquimur de noua obedientia,
 uidelicet, nouam obedientiam non esse meritum
 seu preciū uitæ æternæ, & tamen nouam obedi-
 entiam eo ipso necessariam esse, quia hic ordo in
 Deo immotus est ut creatura creatori obediat.
 Item, Quia Filius Dei uenit ut destruat peccatū,
 nō ut confirmet licentiam ruendi in scelera. Non
 ideo pepēdit in cruce in horribilibus doloribus,
 ut tu sumas tibi licentiam contaminandi te libidi-
 nibus & alijs sceleribus. Tertio necessitas est
 etiam propter ordinem causæ & effectus, quia
 ubi est in corde Spiritus sanctus, ibi non regnat
 peccatum, sed Spiritus sanctus, iuxta dictum

Si actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis. Nec tamen illa phrasi utimur: Bona opera sunt necessaria ad salutem, quia intelligitur de merito. Simul enim gratis propter Mediatorem, & per eum accipimus remissionem peccatorum, imputationem iusticie & uiuificationem, ac effici-mur heredes uitæ æternæ, sicut ipse Dominus inquit: Ego uitam æternam do eis. Item, Qui ha-bet CHRISTVM, habet uitam. Item, Iustifi-cati fide pacem habemus ad Deum. Item Roma. 8. Si sumus filij, sumus & heredes. Item, Hæc est uita æterna ut cognoscant te uerum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Nominat aut inobedientes hoc loco, qui discedunt à regula: Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conscientiam.

Posteaquam exuistis uete- rem hominem &c.

Phrasis Pauli est, in eodem homine renato no-minare ueterem hominem, & uetustatem & ex-terio rem hominem reliquias naturæ carnalis ui-tiosæ. Contrà uero nouum hominem & nouita-tem spiritus, & interio rem hominem, quatenus in mente, uoluntate & corde noua lux & noui motus accensi sunt à Filio Dei, uoce Euangelij et Spiritu sancto, ut 2. Corinth. 4. dicitur: Interior homo

homo renouatur de die in diem. Et hæc rectè intelligenda sunt, Nouitas fit in uera conuersione, cum uoce Euangelij noua lux in mente per Filium accenditur, & datur Spiritus sanctus, fidem, letitiam, inuocationem & alios motus inchoans qualis ipse est. Nec fiat hic confusio Euangelij & Philosophiæ, sicut quidam falso scripserunt nouitatem esse rationem, sensus uetustatem. Sed sciendum est etiam rationem sine Filio Dei, sine uoce Euangelij, & sine Spiritu sancto esse uetustatem & tenebras. Hæc alibi copiosius explicata sunt.

Nominat autem hic Paulus nouum hominem imaginem Dei, ubi rectè intelligatur hæc doctrina. Augustinus interpretatur imaginem de potentijs hoc modo. In anima sunt mens ipsa, cogitatio & motus. Hæc tria sic accommodat. Aeternus Pater est ueluti Mens, Filius Imago Patris cogitatione genita, Spiritus sanctus ut motus. Et pie ac prudenter ista considerantibus non erit ingrata hæc collatio, quia certè anima est testimonium de Deo, & uult nos Deus intelligere, se esse Essentiam intelligentem, cogitantem sese et motricem. Sed ad hæc Augustini dicta de potentijs hoc addo; Potentias intelligendas esse non corruptas, sed uel integras, uel renascentes. Sic ad Ephes. scriptum est: induite nouum hominem, qui secundum

Deum creatus est, in iusticia & sanctitate ueritatis. Hic non fit tantum potentiarum mentio, sed uult in potentijs esse iusticiam & sanctam ueritatem, id est, uult lucere in nobis ueras noticias de Deo, firmam assensionem & iusticiam, id est, conformitatem cum Deo, sicut initio homo conditus est, habēs ueras noticias & conformitatem in uoluntate & corde cum Deo. Et dulcissimè hic dicitur: Renouetur nouus homo ad agnitionem, ut sciamus in nouitate accendi nouam lucem, & quidem uoce Euangelij. Osiander alia quedam disputat de Imagine Dei, nominari hominē imaginem Dei, propterea quia Filius fuerit assumpturus humanam naturam. Hoc uerum est: sed tamen comprehendi necesse est, Veritatem & iusticiam qua efficimur similes Filio, sanctificante nos Deo & assimilante Filio.

Vbi nec Græcus est nec Iudæus &c.

Semper in conspectu sit doctrina de distinctione iusticie Euangelij & rerum politicarum. Euangelium non condit nouas politias sicut Lortius et alij multi fingūt. Sed concionatur de pœnitentia singulorum in corde, & de restitutione æternæ iusticie & uitæ in singulis, quæ restitutio fit ipso Filio Dei uiuificante corda uoce Euangelij.

gelij, & dante Spiritum sanctum. Foris autem si-
 nit nos uti in uita corporali diuersis politicis le-
 gibus, si non pugnent cum legibus naturalibus,
 sicut alij alijs cibis utuntur, aut, alij alijs spatijs di-
 erum. Ideo hic inquit non esse discrimen Græci
 & Iudei. Hanc sententiam saepe repetiuit, quia
 Pseudoapostoli uolebant Gentes ad politiam Iu-
 daicam alligare, sicut nostro tempore Carolo sta-
 dius & alij uolebant delere & tollere ius Roma-
 num, & res iudicare ex legibus Mosi. Contra ta-
 les errores confirmati sumus his Pauli dictis, &
 recte discernantur iusticia propter quam Filius
 Dei missus est, & ordo politicus. Dicit autem om-
 niam omnibus esse Christū, omnia, uidelicet, pro-
 pria noui hominis sunt Christus, scilicet, quo ad
 meritum, & quo ad effectiōem seu quo ad gra-
 tiam, & quo ad donum. Christus factus est tibi iu-
 sticia, ut uidelicet propter eum imputetur iusti-
 cia, & simul est tibi uiuificator, uiuificans cor
 uoce Euangelij, & dans Spiritum sanctum.

Super hæc habete dilectionem
 que est uinculū perfectionis.

Dilectio est uinculum perfectionis. Voca-
 bulum perfectionis hic non intelligatur pri-
 uata perfectio unius personæ, seu perfecta

impletio legis. Sed intelligatur corporis Ecclesie
 coagmentatio seu cōiunctionis et concordie con-
 seruatio. Dilectio est uinculū coagmentationis Ec-
 clesie, id est, donec retinent doctores dilectio-
 nem, etiamsi interdum accidit, ut aliud alteri ui-
 deatur, tamen non mox dilaceratur Ecclesia, sed
 docti tolerant infirmiores & placidè student sa-
 nare, & rursus infirmiores non grauatim audi-
 unt alios doctiores, sicut modesti filij senes paren-
 tes, sicut dicitur: *ἀνεσθαι δὲ φρονεῖς ἐσθλῶν*, id
 est, sanabiles sunt animi bonorum.

Sermo Christi habitet in uo-
 bis opulenter cum omni
 sapientia &c.

Inter præcipuas sententias huius Epistolæ &
 hanc meminisse oportet, cumq; multas grauissi-
 mas admonitiones contineat, præsertim commen-
 dantes doctrinæ studium, diligenter & sæpe con-
 sideranda est. Primum hic legis mandatum diui-
 num esse, ut doctrinam Christi rectè discamus, et
 emphasis est insignis in his uerbis: Habitet in uo-
 bis & quidem opulenter. Familiarissimè noti
 sunt qui nobiscum habitant. Scias etiã uerè in illo
 habitare Deum ipsum habitare, in quo cogitatur
 nostra conuersio ad D E V M, & in conso-
 latione

latione & inuocatione, sicut expresse Dominus inquit: Si quis diligit me, sermonem meum serua-
bit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad
eum, & mansionem apud eum faciemus.

Placent igitur Deo lectio & cogitatio do-
ctrinae, & per eam Deus est efficax & habitat in
nobis. Addit autem, Cum omni sapientia. Legunt
Prophetarum & Apostolorum libros etiam he-
retici & omnes praestigiatores, sed sine sapientia
legunt, id est, fontes non rectè discunt, qui sunt in
ipsis libris Prophetis & Apostolicis, Vt Pa-
pistae nō discernunt Legem et Promissionem gra-
tiae, cultus diuinitus mandatos, & superstitiones
ab hominibus exogitatas. Anabaptistae con-
fundunt doctrinam de iusticia aeterna in corde,
& de uita politica: fingunt Euangelium barba-
riem esse, quae damnet ordinem politicum. Anti-
nomi non discernunt peccata contra conscienti-
am ab alijs &c.

Addita est igitur hīc admonitio, ut sapienter
consideremus ordinem doctrinae & discrimina
membrorum, sicuti alibi iubet sermonem diuini
num ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Et Siracides inquit cap. 3. Quae
praecipit tibi Deus, haec cogita sanctè, id est, re-
tine natiuam sententiam uerbi Dei, nec affingi-
to prophanas opiniones, sicut usitatum est omni-
bus hereticis, omnibus Idolorum cultoribus, &

omnibus prestigiatoribus. Item. 2. Timoth. 1.
 Formam retine sanorum sermonum. Ut autem
 iudicari & uitari corruptelæ & prestigiæ pos-
 sint, necesse est rectè doceri homines, commo-
 nefieri & emendari falsas opiniones, sicut &
 Prouerb. 30. dicitur: Omne uerbum Dei purga-
 tum clypeus est sperantibus propter ipsum. Pur-
 gatum, inquit, sicut metalla coquuntur, ut fiat
 segregatio argenti & scorie. Sic discendo quæ-
 renda est propria & natiua sententia, & re-
 mouenda sunt sordes. Ideo Paulus addit: Docen-
 tes & emendantes uos mutuo. Cum igitur au-
 dimus præcipi studium docendi & discendi,
 obediamus Deo, & hos labores docendi & di-
 scendi propter mandatum Dei amemus, & pla-
 cere eos Deo sciamus. Sed simul adiuncta sit in-
 uocatio, sicut inquit Dominus: Orate ne intretis
 in tentationem. Item, Quanto magis Pater ue-
 ster cælestis dabit spiritum sanctum petentibus.
 Sit etiam studium sine Sophistica, sine curiosi-
 tate quærendi non necessaria, ut Siracides præ-
 cipit: Ne curiose quæras in sermonibus tuis non
 necessaria.

Omne quodcunq; facitis in
 uerbo aut in opere &c.

Regula uitæ est: Commenda Deo uiam tuam,

&

& spera in eum, & ipse faciet. Psal. 36. Via signi-
 ficat uocationem & omnia officia uocationis, id
 est, laboris honesti ad quem rectè uocati sumus.
 Vocatio enim non est impij laboris. Docet igitur
 Psalmus omnes nostras actiones regi debere Le-
 ge Dei & Euangelio. Lex ostendit quæ actiones
 Deo placeant, Euangelium ostendit quomodo
 placeant, uidelicet, cum præluet fides, agnoscens
 Filium Dei, & accipiens remissionem peccato-
 rum & reconciliationem, & inuocans eum ut
 nos adiuuet, sicut inquit: Sine me nihil potestis
 facere: Petite, & accipietis, & statuens Deo pla-
 cere hos labores quanquam sumus ualde infirmi
 & indigni, & multa impedimenta obijciuntur,
 nec tamen fore irritos, & referens consilia
 ad hunc finem, ut Deus rectè agnoscatur &
 celebretur, maneat Ecclesia, & non dilace-
 retur scandalis & dissidijs. Ideo in hoc dicto
 Psalmi additur promissio: Ipse faciet. Commenda
 Deo uiam tuam, id est, in officijs uocationis, quæ
 iuxta mandata Dei facis, rectè inuoca Deum fide
 & Spe, nec deterrearis tua indignitate aut infir-
 mitate, sed scias Deum tibi opitulaturum esse,
 ut labores sint fœlices, sicut alibi inquit Paulus:
 Labor uester non erit inanis in Domino. Iohan.
 15. Qui manet in me & ego in eo, hic feret fructum
 copiosum. Psalmo. 1. Et folium eius non defluet, &

omnia quæ faciet, erunt prospera. Hanc totam regulam Psalmi complectitur Paulus inquit: Omnia facite in nomine Domini Iesu, id est, in uera agnitione filij Dei, fide & inuocatione, & referantur omnia ad gloriam filij Dei. Ac sæpe considerentur actionum bonarum causæ efficientes & finales. Efficientes sunt mens inuoluens præcepta Dei, & cogitans Euangelium, uidelicet, promissionem gratiæ & alias promissiones. Ibi Filius in credente docet mentem, & lucem accendit, & simul mouet uoluntatem Spiritu sancto, ut obtemperet & sit firma, petat & speret auxilium Dei, petat bonos euentus, etiamsi magna pericula ostenduntur. Finales causæ sunt, ut celebretur Deus, maneat Ecclesia, & uitentur pœnæ &c. Hæ causæ cum in Ioseph sint ualde illustres, exemplum eius sæpe cogitemus. Et has causas omnes efficientes & finales complectitur Paulus cum iubet omnia facere in nomine Iesu, id est in agnitione eius, fide & inuocatione.

CAPVT

CAPVT QVAR

TVM.

Domini quod iustum est &
 æquale seruis præ-
 state &c.

IUSTVM significat debitum seu ordinatum legibus diuinis & positivis. Hic enim de iusticia legali dicitur, ut non est iustum seruis eripere coniuges, aut sine iusta causa eos interficere, aut non dare victum. Ideo Augustus rectè liberat seruum quem dominus uoluit interficere quòd casu fregerat crystallum. Et quia de mensum uetus fuit largum, apparet ueteres sapienter considerasse quid natura ferre posset, & fuisse iustos & beneficos. Vni enim dabatur quotidie panis ualens tribus nummis Misnicis, Item sextarius uini, certus modus carniū, ficorum aut aliorum obsoniorum. Hæc obligatione ciuili erant debita, quæ Paulus nominat iusta. Etsi enim Iurisconsulti quærent an coniugium sit serui & ancillæ, tamen regula uerissima est: Vincula diuina & naturalia ligant seruos & liberos: Cæterum aliqua ciuilia beneficia ad seruos non pertinent.

H 3

Usus est autem Paulus hic duobus uocabulis, iubet prestare iusta, scilicet, mandata legibus diuinis & posituis. Seneca sic loquitur: Non licere in hominem quæ ius nature uetat. Addit autem Paulus: Prestate equalitatem. Vult præter illa, quæ comprehenduntur obligatione ciuili, dari beneficia quæ obligatione naturali debentur, ut benemeritis danda sunt singularia præmia, leuandi sunt labores egrotis & senibus. Seneca exemplum allegat de occultata domina à seruis capta urbe. Illud etiam consideretur, cum de equalitate dicitur, considerandum esse, ubi equalitas Geometrica proportionem locum habeat, ubi usus sit equalitatis Arithmetica proportionem. Cum dicit Paulus: Prestate equalitatem, non uult seruos fieri æquales uel pares domino, sed uult seruari equalitatem Geometrica proportionem. Tota autem hæc doctrina nunc quoque sequenda est, & in familijs & in gubernatione principum. Manent uincula legis diuinæ, quæ pariter ligant & Principes & populum. Principes non sic sunt domini, ut liceat eis subditos sine iusta causa interficere, aut auferre facultates eorum sine iusta causa &c.

Sermo uester in gratia sale
 conditus sit &c.

Mani-

Manifesta deformitas est uitiorum Scurrilitatis & Insulsitatis. Scurrilitas cum impudentia, uanitate, obscœnitate, aut etiam uirulentia coniuncta est. Dicitur autem Scurra à Σκῶρ, id est, stercus, ut sit quasi stercora loquens, σκῶρ λέγων. Græcè nominantur βωμόλοχοι, quasi ad aram cubantes, quia ad sacrificia multi mendici accurrebant, qui uarijs nugis pecuniam mendicabant: sicut & prestigiators, qui puluisculos sanctorum circumuolerunt. Insulsitas uero stupor est nimius & indignus homine. Inter hæc uitia Philosophi collocant medium, quod est Lepos, qui est in sermone hilaritatis & asperitatis moderatio. Est autem excellens in homine ornamentum, dicta & sermones tempestiuè proferre seu figuratè seu simpliciter, qui aut mæstis dolorè leniant, aut in iratis nimios motus arte frangant, aut superbos reprehendât. Concurrunt aut ingenij celeritas et cognitio multarum rerum. Ad hæc cū accedit moderatio, totum hoc uirtus esse dicitur, ut Menenij apologus reuocauit ciues à seditione. Pulchrū fuit et Demadis dictū, Alexandro mortuo exercitū eius simile esse Cyclopi effosso oculo. Et illud: τὰ μίαι λάμιαι. Et hoc Erasmi: Mens Christiana stomachus Lutheranus est. Et mea narratio de gentibus attempèratibus religiores ad suas naturas. Et Regis Gallorū Ludouicū

Non pertinent ad Regem, quæ antea contra Du-
cem facta sunt. Et uetustas discernit salem candi-
dum à nigro, & candidum dicit esse Mercurij, ut
sunt dicta quæ beneuolentiam augent, ut Alexan-
dri: Regium est beneficientem ferre maledicta.
Aut illud Plauti: Bonis bene quod fit, id demum
grauæ ac gratum est. Et de hoc genere petit Calli-
machus ut Gratia abluant manus ambrosia in
suo Carmine. Nigrum uero salem dixerunt esse
Momo, ut sunt uenenatæ reprehensiones, ut An-
tiphontis ad Dionysium, optimos statuarios A-
thenis adducendos esse, qui fecissent statuas Ty-
rannicidis.

Cum autem hic Paulus nominat gratiam in
sermone, uult uitari scurrilitatem, obscœnita-
tem, insulsitatem, iactantiam, uirulentiam & sy-
cophantias. Postea cum salem nominat, non
prorsus ut Philosophi de salibus loquitur, etsi his
quoq; locus est. Sed generaliter intelligit salem
iudicium rectè & dextrè accommodans uerbum
Dei, ut Marci. 9. dicitur: Bonus est sal, habete in
uobis salem, & pacem habete inter uos, Vbi sal
significat uerbum Dei rectè intellectum, adhibito
iudicio seu discrimine, ne transformetur in pro-
phanas imaginationes, ut Seruetus, Thammerus,
qui dicunt λόγος non esse ἡ ὤσις ἀμύνον, sed esse
uocem euanescentem. Item ne deletis ueris distin-
ctionibus

tionibus & necessarijs, misceantur in unum chaos non miscenda, ut Anabaptistæ non discernunt vindictam priuatam à iudicijs diuinitus ordinatis, & damnāt iudicia & totum politicum ordinem. Item ne natiua significatio uerborum mutetur, sicut Monachi fidem tantum intelligunt noticiam historiae, qualis est & in impijs. Item, ne addantur opiniones pugnantes cum fundamento, ut Papistæ docent homines mortuos inuocandos esse, docent opera hominum mereri remissionem peccatorum, fingunt Missam mereri remissionem peccatorum & quidem ex opere operato, adorant panem in circumgestatione. Hæc absurda prorsus extra scripta Prophetica & Apostolica indocti addiderunt ethnica superstitione ad doctrinam Ecclesie. In his exemplis manifesta est insulsitas.

Intelligentur autem hæc dicta: Habete salem in uobis, id est, uerbum Dei rectè accommodatū. Item, Sermo sit sale cōditus, non solū de doctrina, sed uniuersaliter de reprehensione errorum & peccatorum, & de consolatione. Item de consilijs dandis in uarijs negocijs, ut Pauli consilium non est insulsum de coniugio credentis & Ethnicæ. Item consilium Christi de didrachmo, ne moueretur seditio contra ordinariam potestatem. Et haud dubiè Zacharias & similes fuerunt

suasores, ne tunc mouerentur bella aduersus Romanos. Deniq; multa incidunt ubi rectè instituti, timentes & inuocantes Deum, aliter iudicant quàm non rectè instituti aut prophani & superstitiosi.

Salutat uos Aristarchus &c.

Salutationũ exempla in Epistolis Pauli ostendunt Ecclesiam non esse politiam quæ iisdem legibus ciuilibus regatur, & habeat proprios magistratus politicos, sed congregationem consentientem de uera doctrina, & inuocatione & coniunctam beneuolentia, etiamsi sparsa est in diuersa imperia politica, ethnica impia, sicut Apostolorum tempore erant Ecclesie, aliæ sub Ethnicis Romanis, aliæ sub Persis aut Parthis &c.

Hæc de Ecclesia scire, & eam prudenter discernere necesse est, Quia plurimi fanatici & seditiosi homines omnibus seculis pretextis Euangelij nouas politias cõstituere conati sunt, ut nostro tempore Anabapista fecerũt. Sic et Romani Episcopi iniuste cõstituerunt sibi imperiũ, ac docuerunt neminem esse membrũ Ecclesie Dei nisi amplectentem traditiones humanas, sancitas à Romanis Episcopis de ipsorum primatu & ceremonijs. Hæc falsa esse certum est ex dicto: Reges gentium dominantur, uos autem non sic. Item,

τολιτεύμα nostrum in cælis est. Tenenda est igitur regula: Date Deo, quæ Dei sunt, Cæsari quæ sunt Cæsaris. Hæc admonitio præcipuè cogitanda est cum has salutationes legimus. Simul autem & hæc consideretur. Etsi Ecclesia non est totum politicū imperium, tamen congregatio est multorū, qui ministerio Euangelij et Sacramentorum, & eadem uera confessione cōiuncti sunt. In his qui norunt inter se beneuolentia coniuncti sunt, sicut Dominus orat æternum Patrem. Fac ut unum sint in nobis. Hæc signa beneuolentiæ conspiciuntur & in his salutationibus.

Postremò & hoc monendi sunt lectores quod scribit Eutropius, Laodiceam & Colossas terræ motu submersas esse proximo anno post Pauli mortem, sicut Ierosolyma post Christi prædicationem deleta est. In talibus exemplis ostēdit Deus se punire hostes Ecclesie & ingratos, qui audita uoce Euangelij non emendantur. Et tamen mirabiliter liberat suam Ecclesiam, sicut ante obsidionem Simeon ex Ierosolyma eduxit suos auditores trans Iordanem. Ita consentaneum est & ex illis urbibus pios antea eductos esse. Ac nunc quoque in tantis confusionibus & ruinis imperiorum precemur Filium Dei ut Ecclesiam & nos in ea seruet, sicut inquit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

LAVS DEO.

PSALMVS QVIN-
 QVAGESIMVS DAVIDIS, LATI-
 NA ELEGIA REDDITVS
 A IOHANNE STI-
 GELIO.

*Ante Deum fædo Iesides crimine lapsus
 Has lachrymis madido fudit ab ore preces.
 Conscia mens culpæ cum tristem sentiet iram,
 Et fugient iustum territa corda Deum.
 Non frustra gemitus inter lachrymasq; fluentes
 Hæc dicit summo carmina grata Deo.*

*Mitis ut es miseris, pressis ut sponte benignus,
 Ut tua perpetuum gratia nomen habet.
 Sic lapsò succurre Deus, miserere precantis,
 Dum iaceo uultum sordidus ante tuum.
 Ut tua propicio clementia plena fauore est,
 Ut tibi multiplici cor bonitate graue est.
 Sic extingue meæ delicta audacia uitæ,
 Mitis et omne mei criminis aufer onus.
 Ablue peruerso fædas à pectore sordes,
 Et mundum à uicijs me tibi redde meis.
 Namq; meæ agnoscens horresco crimina uitæ,
 Pœnitet ex tota mente, fuisse malum.
 Ante meos oculos culpæ mihi pendet imago,
 Et mecum uicium pugnat ubiq; meum.*

Ab

Ab tibi peccaui, te coram talia feci,
 Quæ faciunt trepido me tibi corde reum.
 Ante tuum sistit me propria culpa tribunal,
 Ipse meo cuius crimine causa fui.
 Sic tamen hoc cecidit, sic me meus abstulit error:
 De uenia cogar ne dubitare tua.
 Sed uerum ut maneat, semper mortalia labi
 Corda, uel illa tibi quæ renouata placent.
 Ut uerum obtineas, qui criminis arguis omnes,
 Equ; tuo solo pectore mittis opem.
 Ut uincas de te linguas absurda loquentes,
 Dum lapsis ueniam te dare uelle negant.
 Ecce meas traxi uiciosa ab origine sordes
 Cū noua adhuc grauidæ massa parentis eram.
 Et morbosa trahens longæ contagia culpæ
 Tabifico accepit me mea uentre parens.
 Ecce etenim gaudes uerum sermone loquentis,
 Nec tibi picta ullo uerba colore placent.
 Non placet externo probitas tibi splendida cul-
 Pectoris at gemitus interioris amas. (tu,
 Et tua quæ fatuo non est sapientia mundo
 Cognita, te solo cognita dante mihi est.
 Ut diuina tui norim mysteria uerbi,
 Promissoq; fides stet mea firma tuo.
 O Deus Hyssopi folijs absterge iacentem,
 Et properè ex illo tempore purus ero.
 Testis enim cruor, hyssopus quo tincta madebat,

Sanguinis ille tui Christe redemptor erat.
 Expiet à tanta miserum tua gratia culpa,
 Quæ miserè lapsos sola leuare potest.
 Ablue tu morbos animi, tu pectoris aufer
 Sentinam, ac uicij tolle uenena mei.
 Tunc ego qui mersus fædis in sordibus hæsi,
 Corda geram molli candidiora niue.
 Tunc iucunda tui seruato gratia uerbi
 Reddita, dulce meis auribus omen erit.
 Ipsa mea exilient, & plausibus ossa sonabunt,
 Conquassata graui quæ iacuere metu.
 O auerte meo læsos à crimine uultus,
 Elue delicti pondera magna mei.
 Cor mundū, cor labe carens, cor criminis expers
 In me iudicio gigne recente Deus.
 Intima diuino renoua mea pectora motu,
 Qui mea perpetua uiscera lege regat.
 Ne procul à uultu miserum me explode paterno,
 Ceu dignum æterna morte, perire reum.
 Nec cæleste sinas à me discedere numen,
 Quod facit arbitrio pectora sancta tuo.
 Redde tuæ lapsio solatia certa salutis,
 Ut capiam auxilio gaudia uera tuo.
 Vimq; mihi mentis, quæ labi nesciat, adde,
 Quæ te non dubio semper amore colat.
 Sic tua degeneres passim mandata docebo,
 Ut cupiant nota tutius ire uia.

Protinus

Protinus ex animo reprobi sua facta dolebunt,
 Omnis & immunes criminis esse uolent.
 Agnoscent animis ex te pendere salutem,
 Turba graui culpa quodlibet ausa scelus.
 Supplice te ueniam rogitabunt pectore fontes,
 Atq; tuum grato nomen in ore ferent.
 Mi Deus horrendæ pænis me subtrahere mortis,
 Perpetuo o animi spesq; salusq; mei.
 Ut mea doctiloquo formans præconia motu,
 Iusticiam celebret lingua sonora tuam.
 Tu dignare sinus labiorum aperire meorum.
 Ut referam laudes ore sonante tuas.
 Da mihi uim uocis, da doctæ flumina linguae,
 Ut tua perpetua nomina laude canam.
 Nam sacra si fuso fumantia sanguine mallets,
 Præstiterim templis forsân & ista tuis,
 Sed te nec tepido taurorum imbuta cruore,
 Ara nec imposita strata bidente iuuat.
 Anxia mens propter culpam, mærorq; pudorq;
 Grata salutifero sunt holocausta Deo.
 Cor lacrymans intus, culpæq; dolore gemiscens,
 Ad te aditum recto tramite semper habet.
 Hoc nunquam abijcies, nunquam aspernabere,
 Si tamen adiungat uota precesq; fide. (firma
 Hoc etiam toto supplex te pectore posco,
 Sancta Deus regni membra tuere tui.
 Sit tibi cura, alta rupes ueneranda Sionis,

Perpetuus uerbi est exitus unde tui,
 Cæpta fac eductas attollant mœnia pinnas,
 Grande quibus Solymæ cingitur urbis opus.
 Fac firmata pio fœlix Ecclesia cœtus
 Crescat, & auxilio sit stabilita tuo.
 Voxq; salutiferi latè sonet inclyta uerbi,
 Et pia cœlestis corda lucretur amor.
 Tunc tibi iusticiæ persoluent munera gentes,
 Et uera fructus ex pietate ferent.
 Hæc tu grata Deus præsens holocausta probabis,
 Hi uituli, grati muneris instar erunt.

F I N I S.

Responsio ad

criminationes

STAPHYLI ET A

uñ, edita à Philippo

Melanthone.



ET VS est uersiculus de
rixis Sophistarum: φοιτᾶ
δὲ βροτολογὸς εἰς, κα
νεὸν λελακῆα. Hac que
rela magis uera est, hoc
tempore, quo de maiori-

bus rebus docti & indocti rixantur, & multi im
probi odijs augent certamina & dissidia. Etsi
autem in hac senecta malim & quiescere & ta
cere, & sæpe illud Psalmi cogito: Illi maledice
bant, ego autem orabam, tamen cum recens duo
libri editi sint, alter Staphyli Transfugæ, alter
Auij Coloniensis, qui uerè sunt ἀμαξαι βλασφη
μιῶν, in quibus non mihi tantum & Ecclesijs
nostris rabiose maledicitur, sed etiam libri Pro
phetici & Apostolici contumelia adficiuntur,

respondere breuiter decreui, non ut meam famam, aut mea scripta tuear, omnia enim haec Deo & piorum iudicijs commendo, sed ut iuniores confirmem, ne de libris diuinis minus honorificè sentiant propter impios Staphyli & Auij & similium clamores, qui sermonem diuinum uociferantur ambiguum esse, uelut σφισσὸς enigmata, ac potius esse μάλοϋ ἔργον, quàm doctrinam salutarem pijs auditoribus & lectoribus: deinde ut confirmati sermone diuino firmissimè statuunt, Ecclesiam esse nostros cætus rectè docentes, non blasphemos illos, qui manifesta mandata Dei delere conantur, & parricidas, qui multos innocentes propter ueritatis studium interficiunt. Intuens autem Ecclesiarum nostrarum uulnera, cum propter alias causas multas ingenti dolore adficior, tum uero eo magis crucior, quòd occupati intestinis bellis, non studemus, uel συγκρητισμῶ, ut olim dicebatur, nos aduersus communes hostes coniungere. Sed in his delirijs ultimæ senectæ mundi precamur filium Dei, ut ipse seruet & gubernet Ecclesiam, & pectora docentium mutua & uera beneuolentia copulet. Sæpe etiã in querela de nostris dissidijs Demosthenis Epistolam recito, in qua hortatur ciues, ut deponant domestica odia, & sese coniungant contra externos hostes, ac modestissimè

δεσφισμὲν de sese inquit. ΑΛΛ' οὐδὲ τιτὼ ἰδίαν
 ὄργην ἀναπληρῶν τὸ κοινὴν συμφέρον οἰμαι
 δεῖν ἐλάττειν, οὔτε μίγνυμι τὰς ἰδίαις ἐχθραῖς
 εἰς τὰ κοινὴν συμφέροντα, ἀλλὰ ἐφ' αὐτοὺς
 ἄλλους παρακαλῶ, ταῦτα αὐτὸς οἰμαι
 δεῖν πρῶτον ποιεῖν.

Primum autem de epilogo Staphyli dicam.
 Nominat Confessionem Ecclesiarum nostrarum
 Pandoræ pyxidē, ex qua omne genus calamitatū
 eruperit, nosq; Epimetheos ille nouus Promethe
 us post annos triginta monet, ne istā Pandoram
 audiamus. Etiā lepidus esse studet in exprobran
 dis calamitatibus. Sentimus nostra uulnera & ea
 deploramus. Sed oratoris impudentiā miror, qui
 ita nobis ærumnas nostras exprobrat, quasi nul
 la sint scelera suæ factionis. Multi morbi, multa
 uitia sunt in utraq; parte, quæ puniri agnosca
 mus, nosq; ad emendationē exuscitemus, illud autē
 sciamus, de doctrina nō ex ærumnis iudicandum
 esse, cū notum sit Ecclesiam subiectā esse cruci.

Sed illum nostrum Prometheum Transfu
 gam interrogo, quid in Confessione reprehen
 dat? Iussi, summam doctrinæ Ecclesiarum
 nostrarum modestè recitauimus, & quidem se
 pe testati sumus, nos amplecti Prophetica &
 Apostolica scripta, & Symbola, & non dubita
 tare nos, congruere cum eis confessionem no
 ...

stram, nosq; & esse Dei beneficio & Deo iuuan-
te mansuros esse uerae Ecclesiae Dei ciues. Et
quia multum de consensu Ecclesiae disputatis,
sepe ego quidem addidi, nos constanter reti-
nere ueteris & purioris Ecclesiae consensum,
quem si uos sequi uelletis, multa idola uestra
mox ruerent.

Num prima Ecclesia ad statuas aduolueba-
tur & homines mortuos inuocabat? Num uena-
les Missas habebat? Num prohibebat coniugium?
Num adorabat panem, ut uos in circumgesta-
tione, seu Persica pompa facitis? Num uetustas
docuit posse homines satisfacere Legi Dei, &
iustos esse hac legis impletione, & tamen sem-
per dubitandum esse, an Deo placeant? Num
uetustas docuit de remissione peccatorum du-
bitandum esse, ut uos in Synodo Tridentina
decreuistis, falso detortis uerbis Salomonis ad
Ethnicam imaginationem, Nescit homo an amo-
re uel odio dignus sit? Num in illa antiquitate
Romani Episcopi interficiebant pios recte sen-
tientes? Num faces erant bellorum inter Reges?

Deniq; nota est nobis antiquitas, nec ab ea
dissentimus. Et cum scriptum sit, Oues meae
uocem meam audiunt, adfirmamus nos uerae
Ecclesiae Dei ciues esse, & Ecclesias nostras non
ex illa Hesiodi pyxide sumpsisse doctrinam, sed

ex scriptis Prophetis & Apostolicis, & Symbolis, & ueteri consensu purioris Ecclesie, easque esse, ut Apum alucolos, in quos & fuci multi irrumpunt, & sunt insidiatores, stelliones, & crabrones, quales experimur multos. Et tamen extat doctrina, quae in nostris Ecclesijs traditur, quam ueram esse iudicari potest ex ipsis scriptis Prophetis & Apostolicis, et Symbolis.

Hic uociferantur Staphylus & Auius, ambigua esse scripta Prophetica & Apostolica, Sed sumendam esse interpretationem ex perpetuo consensu, ut nominat. Semper adiungimus Symbola, quærimus etiam testimonia ueteris Ecclesie purioris, ut saepe scripsimus audiendam esse Ecclesiam, tanquam doctricem, sed fidem niti uerbo Dei. Grata sunt nobis testimonia Gregorij Neocesariensis, Irenæi, & Symboli Niceni de filio Dei, sed fides nititur dictis ipsius filij Dei, Prophetarum & Apostolorum.

Quod autem de ambiguitate Prophetici & Apostolici sermonis uociferantur aduersarij, primum hoc negare non possunt, ubi τὸ ἴκρυον nihil habet obscuritatis aut ambiguitatis, ibi necessario anteferendum esse Synodorum & omnium hominum sententijs, ut nihil est obscuritatis aut ambiguitatis in dicto: Dominum Deum tuum adorabis & ipsi soli seruias. Ergo impie-

tas est dicere, Maria, tu nos in hora mortis suscipe.

Grauius dictū est ab Epiphanio. τὰ θεῖα ῥήματα
 τὰ οὐ πάντα λέγεται ἀλληγορίας, ἀλλὰ ὡς
 ἔχθ. θεωρίας δὲ λέγεται καὶ ἀιδήσεως, εἰς
 τὸ εἰδέναι ἐκείνης ὑποθέσεως δύναμιν.
 Non omnes sermones diuini indigent allegoria,
 sed natiua sententia retinenda est. Speculatione
 autem indigent & sensu, ut quaelibet materia
 rectè intelligatur. Nihil dubium est in Lege
 Morali, & in promissione gratiæ, & in Articulis
 fidei retinendam esse natiuam significationē
 sermonis. Non querantur in his dictis aliæ sen-
 tentiæ: In principio creauit Deus cælum & ter-
 ram, Diligas Dominum Deum tuum ex toto cor-
 de tuo, & proximum sicut te ipsum, Non occi-
 des, Non mœchaberis. Quas hîc alias signifi-
 cationes uocum quæris extra communem sermo-
 nis consuetudinem? Sed speculatione opus
 est inquit Epiphanius, id est, collatione mem-
 brorum, definitionibus, diuisionibus, ratiocina-
 tione. Sciri necesse est in præcepto, Non oc-
 cides, dici de cæde non mandata à Deo, & excipi
 Magistratus officium. Est & sensu opus, id est,
 Experientia, quæ declarat uerborum significa-
 tionem, quid sit uita, quid mors.

Hæc copiose declarari possent. Nec dubium
 est

est, τὸ ἤντιον, ubi nulla est obscuritas & ambiguitas, antefendum esse omnibus omnium hominum decretis. Sed Pontificij sepe τὸ ἤντιον corruerunt. Cum Paulus dicit, Iustificamur gratis sine operibus Legis, falsam interpretationem additis, uidelicet, sine ceremonijs & forensibus operibus. Deinde affingitis homines iustos esse, propter opera moralia, Et ueram ac necessariam consolationem deletis, quæ dicit, credentes gratis recipi propter Mediatorem, non propter opera moralia. Adfingitis etiam, semper in dubitatione manendum esse. Hæc pugnant non solum cum perpetua oratione Pauli, sed etiam cum Prophetarum concionibus, quarum consensum esse ostendunt hæc dicta: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Talem collationem sine Sophistica nominat Epiphanius *De ueritate*. Nec propterea fit ambigua oratio Prophetica & Apostolica, etiamsi interpretes alij alias imaginationes addunt, sed si fontes sine Sophistica considerentur, quæ sit sententia natiua rectè intelligi potest. Protulit filius Dei promissionem gratiæ ex sinu æterni Patris. & Pater inquit, Hunc audite, & iubet te ipsi credere. Et Petrus inquit: Omnes Prophete testimonium ei perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius omnes qui credunt

in eum. Paulus expresse inquit: Ideo ex fide
 gratis, ut sit firma promissio. iubet promissio=
 nem fide accipi. Vos contra semper in dubita=
 tione manendum esse dicitis, ut dicunt Ethnici.
 Ab hac uestra imaginatione cum dissentiant
 perpetua oratio Pauli, & plurima Prophe=
 rum dicta, quid statuendum sit, lector pius in=
 telligit. Cum in Psalmo David inquit, Sustinuit
 anima mea in uerbo eius, sperauit anima mea in
 Domino, num à uerbo retrahes precantem, &
 dices, Cur ambigua uoce te consolaris, ut Cræsus
 audiens, Halym transiens magnum Regnum
 eueres. Alibi dicit Psalmus, Lucerna pedibus
 meis, Verbum tuum. Et multa sunt similia dicta,
 quæ iubent normam esse iudicij scripta Prophe=
 tica et Apostolica, quibus addimus Symbola quæ
 non aliud genus doctrinæ continent, sed contra
 præstigiatores tradita sunt, qui peregrinas inter=
 pretationes Prophetico & Apostolico sermoni
 affingebant, ut fecerunt, & faciunt Pontificij. In
 Prouerbijs cap. xxx. Omnis sermo Dei purgatus
 igne, clypeus est confidentibus propter ipsum.
 Non addas uerbis Dei, ne arguaris & fias men=
 dax. iubet sermonem Dei nobis clypeum esse,
 & fidem adfirmat niti sermone diuino. Hæc
 frustra dicuntur, si sermo diuinus est ambigu=
 us. Frustra etiam dicitur, Nihil addas. Diser=
 tē autem

te autem inquit Salomon purgatum esse, ut metalla purgantur, id est, puritatem retinendam esse, nec miscendas esse imaginationes humanas. Ac similes sententiæ multæ in scriptis Propheti-
cis & Apostolicis traditæ sunt.

Nec in re manifesta disputatione longiore opus est. Vbi τὸ φηζὸν manifestum est & sine obscuritate & ambiguitate, contrarium docere aut sentire impietas est, et cum manifestum sit τὸ φηζὸν, Non mæchaberis, tetra confusio est Lex Laconica, quæ concedit pacisci de aliena coniuge cum marito. Non dubium est illos, qui scientes manifesto sermone diuino aduersantur, hostes esse ueræ Ecclesiæ Dei. Id faciunt Pontificij & petulanter & impudenter. Nam in controuersijs omnibus de quibus loquitur Confessio nostra, sententiæ nostræ sunt perpetua uox Prophetarum & Apostolorum, addo & scriptorum ueteris Ecclesiæ puriorum, de peccato, de pœnitentia, de gratuita remissione peccatorum, & reconciliatione fide accipienda, de donatione Spiritus sancti, de noua obedientia, de collectione Ecclesiæ per filium Dei, de ministerio Euangelij, & præsentia filij Dei in Ecclesia, de Sacramentis, de ueris cultibus à Deo præceptis, de uera inuocatione, de usu & abusu rituum humanorum, de libertate Christi-

una, de discrimine Ecclesiae & Imperiorum, de
 dignitate ordinis politici. In his materijs om-
 nibus quid dicimus, quod non sit expresse di-
 ctum & saepe repetitum in scriptis Prophetis
 & Apostolicis perpetuo consensu? Nullae
 sunt ibi monstrosae, nullae seditiosae opiniones,
 nulla adfectata obscuritas aut ambiguitas. Me-
 mini ante triginta annos scribere & dicere quos-
 dam, Quem fugiam habeo, quem sequar non
 habeo, cum significarent se videre idola Ponti-
 ficia fugienda esse, sed adhuc dubitarent, an se
 nostris Ecclesijs adiungerent. Hanc dubitati-
 onem tollit uox aeterni patris, qui de filio dicit,
 Hunc audite. Hunc nos Doctorem & ducem sequi
 oportet, & ad huius Ecclesiam nos adiungamus.
 Sit nobis norma iudicij in tantis generis humani
 confusionibus, ipsius sermo, nec admittamus prae-
 stigas, quibus prophani homines perspicua dicta
 in peregrinas sententias transformare conantur.
 Deinde et in hoc caetu simus et maneamus, quem
 certo scimus uocem diuinam sonare, nec simus so-
 cij eorum qui manifeste ei aduersantur, et ut eam
 deleant, horrendam seruitiam exercent. Haec ad
 nos ipsos confirmandos dixi, & in hac cogitatio-
 ne petamus & expectemus à filio Dei huius suae
 cymbae conseruationem.

Nunc sempulæ excietiamus uel stercora po-
 tius

tius, quæ Staphylus in nos conijcit. In tantis
 dissidijs, inquit, nec ueritas, nec certitudo esse
 potest. Ad hoc respondeo, nos de Confessione
 nostra, non de quorumlibet scriptis responde-
 re, & de Ecclesijs nostris hoc adfirmamus, Nul-
 lam de dogmatibus, in Confessione recitatis,
 dissensionem in nostris Ecclesijs esse, sicut & in
 urbe Vangionum testati sumus, Nec misceri
 nostris uolumus alienos à nobis, ut calumniose
 Anabaptistas & multos alios nobis Staphylus
 admiscet, quorum ne quidem nomina audiui-
 mus. Semper fuerunt, sunt & erunt multi &
 diuersi hostes ueræ Ecclesiæ, & saepe ipsa mul-
 tudo, quæ tenet in Ecclesia autoritatem, ut no-
 minant, ordinariam, inimica est ueræ Ecclesiæ,
 ut Pharisei & Sadducei erant hostes Christi &
 Apostolorum, & ante hos pio cœtui Zachariæ,
 Simeoni, Ioseph, Elisabeth, Annæ, Mariæ,
 sorori Mariæ, & alijs adiunctis huic cœtui.
 Ita nunc sunt hostes Ecclesiæ & Pontificij, &
 alij multi, qui prophanas & impias opiniones
 spargunt & defendunt, & nobis sunt inimici.
 Extant autem perspicuæ refutationes contra
 multos scriptæ in nostris Ecclesijs. Est igitur ue-
 nenata calumnia, miscere nobis alios qui con-
 fessione nostræ aduersantur.

Deinde in cœtu, qui uerè est Ecclesiæ, etiam

— B

am cum consensus est in fundamento, quod est
 Christus Iesus, tamen in tanta multitudine dis-
 similitudo est, alij aurum, alij stipulas funda-
 mento imponunt, interdum etiam aliqui labun-
 tur, ut dicitur, ἀμαρτάνει τὴν καὶ σοφῶν σοφώ-
 τες. Sed pij admoniti redeunt in uiam. Si qui
 contumaciter defendunt errores, his non conce-
 ditur ut doceant.

De Antilogijs igitur hoc respondeo, Etsi
 pleraq; in hoc tuo accruo sunt manifestæ &
 uirulentæ calumniæ, tamen etiamsi qua parum
 circumspectè uel à me uel ab alijs dicta sunt,
 opponimus confessionem, quæ sententiam com-
 munem Ecclesiarum nostrarum ostendit, &
 totum doctrinæ corpus complectitur. Quis
 in tantis tenebris doctrinæ Monachorum tam
 potuit esse Lynceus, ut ita dicam, ut ex eis sine
 ulla offensione egredi potuerit? Ac ut multa
 in articulis mutationum accidant incommoda,
 ita in illis initijs accesserunt multi ad causam
 plausibilem, quorum non erat eadem uoluntas,
 alij studio pietatis, alij dulcedine libertatis mo-
 uebantur. Et ut in Abderis correpti morbo
 Melancholico tota urbe uagabantur eodem
 modo plurimi tragædias recitantes, ita tunc
 plures erant scriptores noui, quàm fuit utile.
 Erant furia Sertorius, Monetarius, & alij quo-

YUNE

B—

rum scriptis seditio Agricolarum in Suevia,
 Turingia, & alibi accensa est. Has furias Luthe-
 rus repressit, illustrata dignitate ordinis poli-
 tici. Multa conantur diaboli omnibus tem-
 poribus ad dissipandam ueram Ecclesiam. Sed
 qui studio pietatis amplexi erant ueram doctri-
 nam, postea maiore cura Ecclesias constitue-
 runt, & cum Antilogias tunc quoq; collegis-
 sent Cochleus, Eccius, & Faber, quorum tu
 exemplum Staphyle nunc imitaris, ut dicitur,
 ἀπὸ τῆς ἀρετῆς ἐξίδησθαι φάσματιον ἀεὶ κενεῖν,
 necesse fuit opponi confessionem, in qua summa
 doctrinae contineretur. Nihil igitur de illis tuis
 Antilogijs respōdebo aliud, nisi hoc, Ecclesias no-
 stras duplici iniuria affici: aut enim narras quæ
 non probant nostræ Ecclesiæ, aut rectè dicta
 manifestis calumnijs deprauas. Hæc pars in tuo
 illo acervo maxima est. Ad nemine monente le-
 ctor candidus mox animaduertet inspectis ali-
 quot pagellis, sed unum atq; alterum exemplum
 recitabo, ut specimen artificij tui ostendam.

In titulo de Matrimonio hæc uerba sunt:
 Adfirmant quòd Matrimonium non sit Sacra-
 mentum, sed ab hominibus in Ecclesia inuen-
 tum ignorantia tam rei, quàm uerbi adductis.
 Dic scelerate Sycophanta, ubi unquam ab ul-
 lo in nostris Ecclesijs dictum sit, Matrimonium

— B

ab hominibus inuentum esse, de uocabulo Sacramenti disputatio est, non de ipso uite genere diuinitus sancito. Cumq; non ignores quid agatur, eo maior est & malicia tua & impudentia.

In titulo de Ecclesia, primum falso interpretaris, quod dicimus, Ecclesiam non alligatam esse ordinariæ successioni. Deinde inquis alicubi scriptum esse, posse ex Symbolo expungi adpellationem Catholica, & meum nomen adscribis, Ita in uno paragrapho duplici iniuria adficior. Nam Ecclesiam non esse alligatam ordinariæ successioni, est non alligatam esse ad Episcoporum successiorem in loco certo. Ut non sequitur Petrus Antiochiæ Episcopus non errauit. Igitur nec Samosatenus errat.

B—

Vsitata sunt hæc artificia Sycophantis, cōfundere diuersa, diuellere coniuncta, excerpere mutila, & affingere falsas interpretationes, ut inquit Demosthenes. Ac ille idem inquit, *τὸν ὄντων ἄνδρες ἀθηναῖοι, τὸν ὄντων ὁ συκοφάντης ἀνὶ τῷ πάντῳ ἔσκανον τὸν ἑλλάτιον.* Talem te esse, ostendit tuus liber, qui magna ex parte tales corruptelas continet. Ne hoc quidem uerè dicis, me fuisse Coryphæum eorum, qui Confessione ad sentiuntur. Nunquàm enim præferri me cæteris in Ecclesiis nostris uolui. Detestor etiam Syllana Re-

B—

gna in Ecclesia, quicumque ea appetit. Sed
 hoc uerè dicit Staphylus, me ne medium qui-
 dem locum tenere. Nam ut ipse immemor ue-
 teris amicitie in me impetum facit, ita me so-
 cii propiorem audacter conculcant, qua in re fer-
 re iniurias potius Deo iuuante decreui, quàm
 ut tu fecisti Staphyle, transire ad illos quos scio
 idola tueri, cum scriptum sit, Fugite idola. Ac te
 Staphyle miror non cohorrescere, cogitantem
 de uiro optimo tuo socero, quem quo uultu intus
 eberis in extremo iudicio? Nec uero plura exem-
 pla ex antilogijs recitabo, sunt enim similes ple-
 raeque ijs quas commemorauit. Verum hoc uelim
 te cogitare, quantum uolumen Antilogiarum
 sine calumnijs ex uestris scriptoribus coacerua-
 re possem. Serio non uerbis tantum dissentiunt
 uestri scriptores de traditionibus humanis.
 Magna pars contendit peccata mortalia esse,
 uesci carne die sexta, nõ seruare usitata ieiunia,
 non enumerare omnia delicta in petenda abso-
 lutione, &c. Et notissimum est, has opiniones
 fuisse tristem carnificinam piorum, quae & fi-
 dem & inuocationem Dei impediuit. Extant li-
 bri haec de re scripti ab Adriano Pontifice & ab
 alijs. Gerson cõtra uideri uult $\mu\eta\lambda\iota\sigma\tau\alpha\ \lambda\alpha\epsilon\kappa\omega\nu\iota$
 $\zeta\epsilon\iota\upsilon$. quærit remedia trepidationi piorum, Sed
 ne hæc quidem sanant pios.

— B

Vox filij Dei perspicua est: Frustra colunt
 me mandatis hominum. Nec merita sunt nec
 ritus Dei ritus illi, & omittere eos non est peccatum.
 Vbi autem scandali ratio habenda sit, nostri
 piè exposuerunt. In tuis Sycophantijs &
 hanc doctrinam calumniaris, cum scias etiam ue-
 terum scriptorum querelas & sententias, qui
 noluerunt has opiniones inferi populo, rituum
 illorum obseruationem esse iusticiam aut meri-
 ta, & omissionem esse peccata. Ab hac uete-
 rum sententia discesserunt Monachi. Postea glo-
 riose prædicatis perpetuum consensum, cum de
 rebus maximis dissentiat. Necesse est autem in
 Ecclesia nosse discrimē uerorum cultuum, quos
 Deus instituit, & rituum humanorum.

Postea de Satisfactionibus uestris quante
 dissensiones sunt? Harum nomen etiam non in-
 tellectum est à uestris scriptoribus, qui dixerunt
 esse compensationes pœnarum purgatorij, cum
 fuerint tantum spectacula ab Episcopis institu-
 ta, partim Exempli causa, partim ad exploran-
 das uoluntates eorum, qui ad Ecclesiam redi-
 bant. Hæc ipsa uetus consuetudo Cypriani &
 Ambrosij temporibus superstitionum & dis-
 sensionum semen fuit. Postea creuerunt tene-
 bræ. Vidi enim longa uolumina ueterum satis-
 factionum, in quibus erant adeo tetra exempla,
 ut reci-

ut recitare nolim. Tandem inanis appellatio, & si manserunt, ut cataphracti irent ad Iacobi implum in Hispaniam. Sed hanc recitationem omitto, etsi iuniores commone fieri utile est, qui uestros ludos non uiderunt.

Quantum dissensionum est de Pontificum autoritate, An iure diuino Romanus Episcopus habeat utrunq; gladium? Quam suaves sunt illae uestre quaestiones, Quid rodant mures, si comedant panem consecratum? Cohorresco talia cogitans, & oro filium Dei custodem Ecclesiae, ut nos gubernet, & seruet uerae Ecclesiae reliquias.

Non putes hac me Staphyle, commemoratione delectari, teq; adhortor, ne nimium nos irrites. Omissa igitur hac ἀντικατηγορία, uenio ad hanc narrationem quae tua est propria in tuo libro, ubi uituperas Lutheri laborem utilem toti Germania, & gratum pijs omnibus, librorum Prophetarum & Apostolicorum translationem in linguam Germanicam. Antea Vvicelius & nescio qui alij, non transferendi consilium reprehenderunt, sed errata colligere instituerunt, Tu consilium damnas, & addis eo institutam esse interpretationem, ut testimonia corrumpere, quae ex libris usitatis sumunt Pontificij, & citas dictum ex Genesi, quo stabi-

re accuset.

liunt inuocationem mortuorum, Vt inuocetur
super eos nomen meum, cap. 48.

Derides, opinor, tuos qui hæc uerba detor-
quent ad inuocationem mortuorum, cum phra-
sis nota sit. Prædicit Iacob futurum, ut filij
Ioseph nominentur inter suos filios hæredes
promissæ politiæ, in qua tunc Ecclesiæ sedens
Deus esse uoluit, quod singulare & excellens
beneficium erat.

Quæ autem te Staphyle furia exagitant,
ut transferendi consilium damnes, nec iudicia
tot honestorum hominum intuearis? Qui fon-
tes in lingua Ebraea & Græca legere non pos-
sunt, non habent gratiorem thesaurum hac in-
terpretatione, quam testari possunt docti op-
tima fide factam esse, & tu ipse nosti, quanta fu-
erit Lutheri diligentia in eo labore? An sacri
libri non sunt legendi ab omnibus? Sæpe audiui
multos præstantes uiros etiam Latinè scientes
dicere, se nulla re magis delectari, quàm lectio-
ne huius interpretationis, qui quidē lætabantur
perspicuitate continuæ orationis in Prophetis,
cum Latina lectio multo sit obscurior. Scio
tuam honestissimam coniugem nullas delicias
anteferre huic lectioni. Et idem possum adfir-
mare de multis Principibus & alijs honestis ho-
minibus. Ac si scirent honestæ matronæ &
uirgines

uirgines, uituperari à te hæc sua κειμήλια, ubi-
 cunq; te uiderent, cœnum in te conijcerent.
 Fatentur & docti, qui fontes legere possunt, se
 plurimum adiuuari hac interpretatione, in qua
 res ipsa ostendit maiorem esse perspicuitatem
 quàm in Græca est aut Latina, quas non propte-
 rea abiicimus, ut falso nos accusat Staphylus, quia
 hortatores sumus ut Germanica ab omnibus le-
 gatur. Profuerunt, & profunt hæ quoq; Ec-
 clesijs, & eo magnificendæ sunt, quia linguæ
 Ebreæ intellectum conseruarunt & adhuc con-
 seruant. Iudico multum adiuuari discentes, si
 conserantur ad fontes, & Græca, & Latina, &
 Germanica, ut pleriq; apud nos faciunt, non eo
 tantum, quia dulcius ex ipso fonte bibuntur
 aquæ, sed quia maior certitudo est inspectis fon-
 tibus. Et tamen profunt ueteres. Etsi enim
 alicubi nonnihil deflexerunt aliqui à proprieta-
 te, tamen consensus in perpetuis narrationibus
 testimonium est de linguæ intellectu. Et si erit
 in censura rectitudo iudicij & candor, intelli-
 gemus congruere cum fontibus, et inter sese, Græ-
 cam, Latinam, & Germanicam, quod ad res
 ipsas attinet. Multa Græci rectius intellexe-
 runt, quàm hodie intelligant Iudæi. Apud
 Daniele m uerba sunt, Super Alam abominatio.
 Hic fingunt corruptelas Iudæi contra natiuam

uerbi significationem. Est autem simplex sen-
 tentia, futurum ut collocentur Idola in sanctum
 sanctorum, ubi fuerunt Cherubim, quos no-
 minat alas, & Græci retinuerunt πτερυγίου &
 φανισμῶν, de quo tristi spectaculo & Christus
 loquitur, inquiens, cum uidebitis in loco sancto
 ἑλελυγμένα εἰρημώσεως. Eratq; prophanatio il-
 la in eo populo typus horribiliū prophanatio-
 num in hac postrema senecta mundi, quas p̄ij nō
 possunt sine ingenti dolore aspicere. Usus est
 Græca interpretatione Paulus reddens ueram
 sententiam quæ est in Ebreæ lectione, etiam si
 morose iudicantes propter uerborum discrepan-
 tiam putant dissimiles esse sententias. λόγον γὰρ
 συνῆλων καὶ συντέμων ἐν δικαιοσύνῃ etc.
 Id ex Esaia Hieronymus sic reddidit, consumma-
 tio abbreviata exundabit iusticiã. sententia est,
 perficiet Deus quod dixit, seu decretum de fine
 politie, & tamen ita præfinit id decretum,
 ut tunc exundet iusticia, id est, largiter donetur
 prædicatione Euangelij. Hæc eo tantum dico, ut
 ostendam nos non abijcere ueteres interpretati-
 ones, ut Staphylus nos criminatur, et deinde alia
 multa absurda attexit, quæ omitto. Non enim in-
 stitui singularum calumniarum refutationem,
 quæ & longa esset, & non est necessaria, tan-
 tum ostendere libri specimen uolui, ne Syco-
 phanta

phantæ Staphylo credatur.

Non existimo graues uiros apud aduersarios hoc eius libro delectari, quem neq; ad docendos homines neq; ad pacem prodesse sciunt, si qui autem applaudunt, hos hæc ipsa uanitas ostendit, uelle deleri ueritatem qualibuscunq; præstigijs. Et cum hunc librum collegerit Staphylus in urbe Vangionum, adparet quantum pacis studium tunc in eo fuerit. Sed oro filium Dei ut nos gubernet, & semper inter nos æternam Ecclesiam colligat, ut ipse uerè agnoscatur, inuocetur, & celebretur. Nunc pauca adiiciam de calumnijs Auij* Coloniensis. Cum maximè optemus, ut semper unum sint in Deo nostræ Ecclesiæ, uideremus autem abrupto colloquio aduersarios uarias fabellas sparsuros esse, pio consilio testimonium de consensu nostro modestissimè scriptum edidimus. Ac nondū eius consilij nos pœnitet, quia postea comperimus eam præmonitionem et necessariam fuisse & multis bonis gratam. Exposuimus etiam nobis non defuisse uoluntatē procedendi in ea collatione, quod uerū est. Huic nostro scripto longam declamationē opponit Auius, q̄ fuerint cupidi huius certaminis antagonistæ nostri, narrat mea somnia quæ ostenderint meam timiditatem. Dico ingenuè me non solum à sophistica, sed in uniuersum à Rixis ab-

B

horrere, & aliquanto magis fatuum esse senem
 rixatorem, quàm senem amatorem. Placidam &
 piam collationem cum bonis, doctis et candidis,
 de rebus necessarijs expeto, et nulla res in uita ta-
 libus colloquijs mihi dulcior est. Hanc meam
 naturam notam esse multis existimo. Seruui,
 quantũ Deus mihi concessit, studijs iuniorum in
 munere scholastico, nec in his pulueribus appe-
 titiui splendidiora nomina, & de toto corpore do-
 ctrinae exposui summas rerum, quantum potui,
 proprijs uerbis, & semper Ecclesijs nostris me
 & mea dicta & scripta subieci: si quibus hæc non
 placent, proponant suas sententias, & sit iudici-
 um penes Ecclesiam. Nihil prodest perpetuò ri-
 xari, ut de illo Sophista apud Atheneum diceba-
 tur, καίτοι, ὅν καί, & ut Thucydides inquit, nõ
 omittere μωρίας φιλονεικίων. Sed tamen cum
 in urbe Vangionum respondendum esset, non de-
 fugi congressus illos, & maxime opto, ut acta e-
 dantur. Reprehendit Auius, quòd in illa nostra
 pagella edita Francofordiæ testati sumus nos con-
 stanter amplecti Prophetica, & Apostolica
 scripta & Symbola, & hanc doctrinam in Con-
 fessione nostra comprehensam esse. Ergo inquit
 historica scripta in sacris libris non recipitis?
 Hæc cauillatio quàm sit ieiuna & futilis, quis
 non uidet? Cum Propheticos & Apostolicos
 libros

libros nominamus, complectimur omnes libros, qui testimonio Ecclesiae recepti sunt, & discernuntur ab Apocryphis: dicebantur autem Apocryphi qui non legebantur publicè in Ecclesia, & quorum testimonia non recipiebantur ut diuina. Libri historiarum in Ecclesia Ebraea publica autoritate à Prophetis & collegio Sacerdotum scripti sunt. Quare eos inter Propheticos usitata phrasi comprehendimus. Et de hac frigida cauillatione non dicam prolixius. In Epilogo respondet ad dictum, Diligite ueritatem et pacem. Ait pacem fore, si nos ueritatem diligamus. Audis uocem censoriae grauitatis. Si nos uult à se petere ueritatem, proferat doctrinae corpus, quod in suis lustris quale composuerit, nondum uidemus. Sed omitto ipsum, de socijs loquor. Annos triginta iam de doctrina litigamus, nec unquam aduersarij integrum doctrinae corpus nobis proposuerunt. Nos, quantum Deo iuuante potuimus, saepe repetiuimus omnia capita doctrinae quae in Ecclesia proponi necesse est. Vtri ueritatem & pacem diligant, iudicetur ex rebus manifestis. Quam multos innocentes interficitis, tantum quia non uolunt idola colere? Num defensio manifestorum errorum est diligere ueritatem? Num iniusta saeuicia est diligere pacem? Haec dijudicatio cum sit faci-

B —
 lima, declamationem Auij falsam & stultam
 esse omnes intelligunt, quem quidem non iudico
 superstitione ista scribere, sed ludere hominem
 Epicureum, ut suo theatro gratificetur. Ut
 cum Thammerum laudat, cuius scit extare li-
 bros in publicum editos, in quibus transformat
 Ecclesie doctrinam in Ethnicam. Et his ipsis
 uerbis extat argumentum in Thammeri libris.
 Scriptum est in primo Capite ad Romanos, Po-
 tentiam Dei ex mundi opificio notam esse genti-
 bus. Ad Corinthios autem scriptum est, Christum
 esse potentiam Dei. Notus est igitur gentibus. Hic
 non discernit Thammerus potentiam in creati-
 one ostensam, à potentia saluationis, qua homini
 mirabiliter per filium restituitur uita & salus
 eterna. Hæc & alia multa contumeliosa aduer-
 sus filium Dei, & contra ueram Ecclesiam cum
 scripserit Thammerus, placet Pontificijs, tan-
 tum, quia nobis impudenter maledicit.

B —
 Ut autem serio uideatur Auius Ecclesie
 patrocinari, me nominatim ad respondendum
 de hoc argumento prouocat. Cum Ecclesie
 autoritas non sit labefactanda in Symbolis, cur
 labefit in ceteris, quæ non pugnant cum man-
 datis diuinis. Hoc laqueo existimat me iam
 strangulatum esse, & gloriose se effert ac trium-
 phum agit. Sed prima hæc planissima responsio
 est.

est. Quæ nos taxamus in doctrina & ritibus
 aduersariorum, dicimus expresse pugnare cum
 mandatis diuinis, dicimus item Apostolos lon-
 gè aliam uoluisse Symboli sui autoritatem esse,
 quàm rituum quos alibi alios seruabant. In ce-
 lebrando Pasce aliquos diem Iudaici Pasceos
 retinuisse scribitur. Præterea constat singula
 membra Symboli Apostolorum, ut Græca Ec-
 clesia recitat, expresse in scriptis Prophetis &
 Apostolicis tradita esse, ac nihil in Symbolo
 Græco addi, eamq; breuem recitationem tra-
 ditam esse ut res alibi narratæ prolixius, hic or-
 dine distributæ, & breuiter comprehensæ in
 conspectu sint, ut in inuocatione simul & Pa-
 trem & Filium & Spiritum sanctum, & mox
 summa beneficia cogitemus. Idem de Symbolo
 Niceno & de Athanasiano respondeo. Adfir-
 mo idem de doctrinæ Canonibus, quos ex urbe
 Roma Damasus misit ad Græcos Episcopos,
 & de doctrinæ explicatione facta in Synodo
 Ephesina & Chalcedonensi. Hæc dogmata
 complectimur cum Symbola nominamus, quia
 sunt breues repetitiones doctrinæ in scriptis
 Prophetis & Apostolicis traditæ contra im-
 postores, qui præstigijs Sophismatum corrup-
 pebant scripta Prophetica & Apostolica. Ac
 uolumus certè audiri Ecclesiam, ut doctricem,

B
 sed fides uerbo Dei nititur. Et Iudicia Syno-
 dorum sunt dissimilia politicis: ualent enim de-
 creta. in politicis iudicijs, in his, quæ sunt iuris
 positiui, ut loquimur, autoritate Regia uel præ-
 toria. At confessiones in Synodis quæ sunt piæ,
 sunt testimonia quæ ostendunt quid pijs tunc &
 antea senserint, quæ necesse est non dissentire à
 scriptis Prophetis & Apostolicis. Satis ne ui-
 deor de thraſonis Auij argumento respondiſſe?
 quanquàm hoc ipsum satis erat, quòd ea quæ re-
 prehendimus in Monachorum doctrina & Pon-
 tificum decretis manifestè pugnant cum man-
 datis diuinis, idq; ex uera norma iudicij, uideli-
 cet, ex scriptis Prophetis & Apostolicis &
 Symbolis singuli homines non athei iudicare &
 possunt et debent, iuxta dictum, Si quis aliud E-
 uangelium docet, Anathema sit.

B
 Obijciuntur nobis & Flaciana dissidia, quæ
 mihi quidem propter publica incommoda ma-
 gnum dolorem adferunt, ideoq; ne maiores di-
 stractiones, & dogmatum certamina orirentur,
 tacui, qua in re multorum prudentum exem-
 pla secutus sum. Nec recens hanc Socraticam
 Philosophiam disco, multas iniurias mihi illatas
 inde usq; à triginta annis mediocri moderatio-
 ne tuli, ut multi norunt. Et habeo domesti-
 cum patientiæ exemplum, Capnionem. Sed
 pro-

profecto errant Pontificij, si sibi prodesse pu-
 tant nostras dissensiones. Fata ultimæ senectæ
 mundi considerent, & cogitent, sibi non minus
 periculi esse, quàm alijs. Procedit autem Fla-
 cius, & nunc non solum deliberata de Adiapho-
 ris reprehendit, sed etiã uituperat mea scripta,
 in quibus doctrinæ summam pio studio colle-
 gi, cum inspectio Ecclesiarum coëgisset me &
 collegas post seditionem Agricoliarum admo-
 nitiones necessarias pastoribus & Magistrati-
 bus tradere. Planè igitur de me ipso & de omni-
 bus actis & scriptis subijcio me iudicio pasto-
 rum in Ecclesijs omnibus amplectentibus con-
 fessionem, quæ Augustæ Carolo Imperatori
 exhibita est, & ne uidear quærere Ideam, nomi-
 natim uolo iudices esse, Academias Tubingen-
 sem, Hassniensem, Marburgensem, & Ienen-
 sem. Cum magna esset tunc confusio, fateor me
 suasisse & Francicis pastoribus & nostris, ne
 desererent Ecclesias propter uestem lineam &
 ordinem festorum. De cæteris, quæ mihi & alijs
 obijcit, iniuriam nobis facit Flacius. Sciunt
 multi præstantes sapientia, uirtute, & pietate,
 ne ipsum quidem Ducem Mauricium Electorem
 excellentem ingenio & uirtute plus petiuisse in
 oppido Grimma, quàm ut hac in re sibi mos
 gereretur. Postea edita sunt falsa scripta à Flaci-
 anis, in quibus scriptis & mutilata membra

— B

B

sunt, & alia inserta, de quibus nulla unquam
suffragia nostra scripta sunt, sed plectimur
ὅτι δὴ πρὸς ἀμάρτημα ἐμ χροεία. Hactenus
Flacius tantum Carneadeo more mea scripta re=
prehendit, nec se aperit. Quod autem semper
optavi, ut de omnibus doctrinae membris cura=
rent nostri re deliberata à præcipuis doctoribus
edi commune scriptum, quod ad totam posteri=
tatem de consensu piorum illustre & firmum
testimonium esset, idem nunc quoque opto.
Vitam meam etiam filio Dei commendo, quem
oro, ut Ecclesias harum regionum gubernet &
protegat, & me faciat organum salutare, Et
sive me nostri, sive Pontificij interficient, Deo
iuuante decreui, me non discessurum esse à filio
Dei, Domino nostro Iesu Christo, & ab his Ec=
clesijs, nec futurum me esse socium eorum, qui
idola defendunt, et sæuiciam in homines innocen=
tes exercent.

Nihil dubium est in hac ultima & delira se=
necta mundi subinde maiores dilacerationes Ec=
clesiarum futuras esse, in quibus ut filius Dei
seruet agmen retinens doctrinae puritatem &
ueram inuocationem, in qua multi sint heredes
salutis æternæ, assiduis gemitibus & uotis peta=
mus. Sed tamen & Principes, & alios guberna=
tores & doctores oportebat etiam sui officij me
mores

mores esse, prohibere rixas non necessarias, fre- — *B*
 nare curiositatem leuium ingeniorum, &
 φιλονεικίαν, summa vigilantia pium consen-
 sum tueri, sanabiles placidè in uiam reuocare,
 & insanabiles iusta seueritate reprimere. Hæc
 ut fiant toto pectore opto, nec piorum &
 doctorum iudicia defugio,
 nec eis refragabor.

DEO SIT LAUS.

Precatio.

Quantus erat dolor in Cananea matre puella,
 Cuius mens furijis exagitata fuit:
 In tanto nunc est Ecclesia mæsta dolore,
 Doctorum furias cum uidet atq; Ducum.
 Sed tu gnate Dei gemitus audito precantum:
 Nulla uenit nobis te nisi dante salus.
 Tu procul à nobis seuos depelle furores,
 Et sanes uerbo pectora nostra tuo.
 Quamuis ira tui nos urget iusta parentis,
 Et sumus ut turpes nos rea turba canes:
 Attamen ut timidè sub mensa captat herili
 Esuriens modicas parua catella dapes:
 Sic cum dira fames nostros absumpserit artus,
 A mensa petimus pabula Christe tua.
 Gnate Dei generis nostri massam induis, ut nos
 Viuifica infirmos hæc tua massa gerat.

FINIS.

Quamvis etiam dolor in Canis non male patitur,
 Cuius nec ad feris exequia sunt
 In tanto magis est Ecclesiarum ille dolore,
 De totum peris cum videt diu Ducum
 Sed in pace Dei generis audita presentium
 Voluntatem in rebus tunc dicit filia
 Et in rebus tunc facit dicitur ferret,
 Et tunc verbo pectora in rebus
 Et tunc in rebus nos arget in rebus parentis,
 Et tunc in rebus nos reat turba in rebus
 At tunc in rebus sub mensa captat in rebus
 Et tunc in rebus peris in rebus dicitur
 Sic tunc in rebus in rebus absent perit arret,
 A mensa peris in rebus Christi in rebus
 Sed in pace Dei generis nostri in rebus induit, ut nos
 Vinisset in rebus nos in rebus dicitur gerat.


FINIS



92706

(+2205772)

nc



MAX

10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



A 11 12 13

D

